יהוה


SCHOLÆ ZETETICÆ METAPHYSICA

INTERPRETE

JANO TOSCANINI

FLORENTINO

Sacræ Theologiæ Doctore.



ROMÆ,

Ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXV.

SUPERIORUM PERMISSU

AD LECTOREM.

SCHOLÆ ZETETICÆ, *omnium antiquissimæ, cujus originem, instituta, ritus, disciplinamque omnem non ita pridem descripsit vir eruditissimus Dominicus Aulisius lib.* I. *de Scholis sacris; hic ego placita, atque doctrinam, quantum quidem primùm ex sacris Literis, deinde ex pervetustis cùm Græcorum, tum verò præcipuè Ebræorum monumentis cognoscere potui; vulgare primus aggredior. A Metaphysicis initium capere visum est, eorumque primò Systema informare, quæ de Ente, ipsiusque Attributis Ebræi veteres, apud quos ea Schola floruit, tradidere. In hoc autem Systemate, ut ordo rerum, atque ex ordine perspicuitas foret, totam hanc doctrinam bipartitò distribui: &, quæ quidem prima, & præcipua sunt, ac veluti fundamentum cæterorum; in prima Systematis parte locavi, quam de more Hypothesim voco: quæ verò ex his consequuntur, iisdemque quodammodo incumbunt; ea in varias Propositiones digessi, ac secunda Systematis parte comprehendi. In reliquis cùm Philosophicis, tum Theologicis, nisi aliter visum fuerit, idem ordo servabitur. Tu interea, Benigne Lector, partem hanc doctrinæ Zeteticæ accipito, &, quodcunque id demum est laboris, atque industriæ meæ, boni consulito. Vale.*

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palat. Apostol.

N. Episc. Bojan. Vicesg.

JUbente Reverendiss. Patre F. Gregorio Selleri Sacri Apostolici Palatii Magistro, accuratè, ac diligenter perlustravi *Systema Metaphysicum Scholæ Zeteticæ à Viro eruditissimo Jano Toscanini, ex pervetustis tùm Ebræorum, tùm Græcorum monumentis, nunc primò informatum*. In quo cum omnia mirùm in modum resplendeant, ingenium, doctrina, eruditio, stylus etiam, atque eloquutio, &, quod sanè plurimùm refert, ordo, totiusque operis distributio, & conformatio; nec quidquam in eo sive à recta Fide, sive à bonis moribus alienum, dissonumve deprehenderim; illud Typis dignissimum censeo.
Datum Romæ in Monasterio SS. Viti, & Modesti die 26. Maji 1725.

D. Paulus Scalamonti Ordinis Cisterciensis
Sacræ Theologiæ Lector.

S*Cholæ Zeteticæ Systema Metaphysicum, Jani Toscanini Florentini, sacræ Theologiæ Doctoris* præclarum inventum, magnæque doctrinæ, ac mentis opus, jussu Reverendissimi P. F. Gregorii Selleri Sac. Pal. Apost. Magistri attentè perlegi. Cumque in eo nihil in venerim, quod Religioni, & bonis moribus non apprime congruat; ac sperem, fore, ut Christianæ Scholæ inde plurimum commodi capiant; ipsum non publica modo luce, sed communi omnium plausu dignissimum judico.
Romæ ex Collegio Romano die 15. Junii 1725.

Octavius Ruschi Societ. Jesu
Græcæ Linguæ Professor.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

ME-



METAPHYSICI SYSTEMATIS

PARS PRIMA

HYPOTHESIS

§. I.

1. YPOTHESIS illa, qua tota nitebatur Zeteticæ Scholæ doctrina, primùm id, ac præcipuum habet: τὸ ὄν, vel τὸ εἶναι *Ens*, vel *Esse* unicum ponit: ejus verò duplicem quasi statum, modum, habitudinemque distinguit. Et, cum recentes philosophi principiò statim res dividant in Ens, sive quod est ab alio, & quod est a se; sive finitum, & infinitum; sive contingens, & necessarium; priscis illis Investigatoribus veri ea prima fuit rerum partitio: Esse vel est in se ipso; vel quodammodo extra sese, participatione, & communione sui. Qua divisione ne cui forte videantur Deum non satis sejungere, ac segregare a rebus creatis; dicanturque patrocinari Almerico, qui damnatus est ab Innocentio III. cap. *Damnamus* de sum. Trinit. quòd, ut perhibet Turrecremata lib. 4. sum. cap. 35. omnia unum esse doceret, & ejusdem prorsus naturæ; exponen-

dum ideo est, unicum Esse cum ponerent, idemque in se ipso, & quasi extra se esse dicerent; quid intelligi vellent. Hoc autem rite explicato, atque percepto, liquidò constabit, eos tam procul esse ab hac culpa; ut magis etiam, quàm reliqui omnes aliarum gentium philosophi, & abhorreant ab opinione Almerici, & Deum efferant supra res omnes creatas. Nam profectò ii omnes, qui non statum Entis, sed Ens ipsum principiò distingunt, quantumvis licèt ens alterum ab altero separent, atque discriminent; utrumque tamen ens esse propriè, ac verè; communique illa notione involvi, confundique putant: ut minus propterea, ipsorum etiam confessione, & judicio, inter se discrepent duo illa entia, finitum & infinitum; contingens & necessarium, quod est ab alio & quod est a se; quàm quantum Investigationis Schola ipsum a se ipso differre vellet illud Esse, quod unicum statuebat. Sic enim res habet, Zetetarum sententiâ: Esse unicum est: ejus verò duo quasi status: quippe quod & in se ipso est, & extra sese: in se ipso quidem re, & veritate; extra se autem adumbratione, & similitudine. Ita scilicet, ut, quacunque ratione idem ut est in sese, cum semetipso comparetur, ut est extra sese; ipsum ad se ipsum ita se habeat, uti verum ad falsum: quorum, ut talium, nulla communis est notio: siquidem, ut nomen sit idem; ratio tamen eo nomine significata est longè alia: ut longè alia ratio est hominis picti, atque hominis veri. Porro hæc doctrina cujusmodi sit, definire, meum non est. Illud confirmo, philosophos illos, qui ista doceant, & Dei naturam supra res omnes creatas altiùs quodammodo evehere, & ab errore Almerici longiùs distare, quam cæteros. Esse enim ideo unum constituunt, non quia plura non sint; sed quia nihil, nisi unum propriè, ac verè esse putant. Quod autem dicunt, hoc unum esse in se ipso; & extra sese; ita accipi volunt, ut in se ipso sit verè; extra se autem, extra rationem sit esse veri. Quare, quamvis non ipsum Esse distinguant, sed ejus veluti statum tantummodo, hoc est, quamvis censeant, nihil esse extra ipsum Esse, quod idem non sit etiam in ipso Esse; eaque ratione differre velint, quòd in

ipso

ipso Esse sit verè; extra autem, veri esse rationem non habeat; longiùs tamen ab ejus opinione absunt, qui omnia unum esse docuit, ejusdemque naturæ; quàm qui duo entia distingunt, finitum & infinitum, contingens & necessarium, quod a se, & quod ab alio: quæ, utcunque inter se maximè diversa esse dicant; ad aliquam tamen notionem deveniendum tandem esse existimant, quæ vel univocè, vel saltem analogicè in utrumque conveniant, eaque unum quodammodo efficiat. Ad rem declarandam veteres ipsos Ebræos hoc exemplo usos invenio. Moses quidem unicus est: &, si idem sit cùm in se ipso, tum extra se, in aliqua sive tabula, sive statua expressus; nequaquam in Mose ipso; sed, ut ita dicamus, in ejus statu, atque modo distinctio sit: neque enim Moses alius est in se ipso, alius in imagine: sed aliter in se ipso, aliter in imagine: in imagine quidem adumbratione, & similitudine quadam; in se ipso autem re, & veritate. Et tamen, cum in Mose distinctio non sit ulla, certè veritas Mosis, ejusque imitatio, duo quædam sunt inter se tam planè diversa, quàm diversi non sint inter se duo ipsi Moses, si Mosem ipsum, quod quidem est absurdum, duplicem fingas: aut certè si duos homines ponas: hi enim, utcunque alterum alteri dissimilem facias, eidem speciei subjecti sunt, & utriusque communis est ratio hominis. Non absimili pacto, dicebant, unum quidem est Esse; hoc autem, si extra sese, idest, extra rationem veri, & proprii esse, sive in Homine, sive in Angelo, tanquam in imagine sit; nequaquam ipsum Esse distinguas, sed statum quodammodo: alterum quidem rei, & veritatis; alterum autem adumbrationis, & similitudinis: Nec verò, quamvis in ipso Esse distinctio non sit; non duo tamen sunt inter se maximè diversa, veritas ipsius Esse, quæ est Deus; & ipsius Esse imitatio qualiscunque, quæ est Homo, vel Angelus. Duo quædam sunt oppidò; & inter se tam planè disjuncta; ut nulla utriusque communis sit ratio. In quo quidem deficit exemplum nuper allatum. Nam similitudo illa Mosis non omni prorsus ratione similitudo est: est enim aliqua tandem ratio generalis, qua utrumque coit, atque in

unum confunditur: sic, ut idem sit, atque ipse Moses, Mosis imago, non quidem re, sed notione. Contra verò, quòd ipso Esse nulla superior est ratio; quidquid non est esse verum, sed esse veri similitudo; nulla prorsus ratione plus aliquid est, quàm ejus similitudo. Ex quo illud efficitur, quod paulo ante notavimus, ut, quocunque respectu inter se comparentur, Esse ut est in seipso, & ut extra sese; Deus nimirum, & res creatæ; non alia major sit utriusque termini habitudo, quàm quæ est inter verum, & falsum: inter hominem, aut aliam rem quampiam, ejusque simulacrum, atque umbram, ut simulacrum, ut umbra est.

2. Umbram verò cum audis, ne Zeteticæ Scholæ doctrinam in errores Platonicorum, qui alter scopulus est æquè cavendus, incurrere, atque offendere putes. Etsi enim, ut notat Eusebius Præp. Evang. l. 12. c. 19. hoc etiam ab Ebræis acceperit Plato, *ut res inferiores diviniorum imagines esse existimaret*, quod latè docet in 6. & 7. de Repub. ea tamen cùm ipse, tum verò maximè ipsius interpretes adjecerunt de suo; quæ, ut verum, & catholicum sensum sustinere vix ullum posse videntur; sic a veteri Ebræorum Schola sunt prorsus aliena. Veterum autem Ebræorum Scholam cum dico, sermo mihi non est, sive de Sapientibus Misnæ, & Ghemaræ; sive de Rabbinis; sive de iis Ebræorum doctoribus, quibus etsi nomen הגאונים ab excellentia doctrinæ sit factum; eosdem tamen a majorum suorum placitis ad Ethicorum philosophorum commenta turpiter defecisse constat. De Schola loquor longè & antiquiore, & sapientiore המקבלים hoc est, eorum, qui acceptam a Prophetis, atque adeo a Mose ipso doctrinam puram adhuc, atque incorruptam servabant: apud quos, tantis videlicet auctoribus, & magistris, certior erat, ac tutior inquisitio illa veri, quam profitebantur: & ex qua ipsorum gymnasiis nomen positum est Ebraicè quidem בית המדרש, Græcè autem οἶκος ζητήσεως, idest, domus, seu schola Investigationis. Hi porro sapientissimi viri, quod initio statuebant: *Esse unicum est; ejus verò duo sunt veluti status; veritas, & umbra*; id Catholicè intelligendum dico; neque hujus dissimile

simile illud esse contendo, quod, ut paulo post videbimus, in ore omnium ferme S. S. Patrum frequentissimum est: *In Deo sunt omnia, & quidem longè veriùs, quàm in seipsis: Deus veritas est, res autem creatæ cum ipso comparatæ falsitas sunt*. Quod utique non ita est accipiendum, quasi res creatæ falsò putentur existere: sic, ut homines v.g. & angeli in se ipsis veri non sint, sed hominum, & angelorum simulacra quædam dumtaxat, atque umbræ. Illud est: veri quidem & homines, & angeli sunt: sed hoc est verus homo, verusque angelus, imitatio, atque adumbratio quædam illius veri esse, quod habent in Deo. Veri autem esse proprietates, caracteres, insignia eadem planè notarunt Ebræi veteres, quæ passim omnes notant tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ Patres. Nam primò, dicebant: Esse verum, hoc est, Esse ipsum, ut est in sese, est esse maximè exemptum, ac liberum, solutumque modis omnibus, ac differentiis loci, temporis, rei: ita nempè, ut nec sit in eo Est, & Non: nec Fuit, & Erit: neque Hic, Ibi, Alibi, & alia ejusdemmodi, sed unicum Est: eoque uno sit omnia: omnia inquam, extra omnia. Contra verò esse adumbratum, hoc est, ipsum Esse, ut est extra se se, quoniam quælibet Esse ipsius externa progressio suum certum gradum, suamque lineam, rationem, modum, ordinem habet; multifariam illigatur, contrahitur, circumscribitur, definitur. Secundò, ipsum Esse, ut est in se ipso re, & veritate, est purum, ac simplex esse: quod & nihil habet admixtum ex non esse; & id omne, quod habet, illud est: contra verò, ut est extra sese, per adumbrationem, & similitudinem, est esse quoddam insyncerum, mixtumque ex non esse: ac nunquam penitus compositionis expers, ejus saltem, quæ est ex accidente, & substantia: ut non solùm multo pauciora sint semper illa, quæ habet, quàm quæ non habet; sed etiam, ut ea quæ habet, illa ipsa non sit. Tertiò tandem, quæ aliæ sunt veri esse proprietates, atquè notæ, Esse ipsum, ut est in sese, est a se ipso, est unicum, necessarium, immensum, æternum, immutabile, infinitum, perfectissimum. Quæ contra omnia sunt in esse adumbrato, hoc est, in Esse ipso, ut extra se est.

3. Pro-

3. Propriis hisce veri, ac falsi esse caracteribus constitutis, seu quod idem est, duobus ipsius Esse veluti statibus, veritatis scilicet, & falsitatis, sive adumbrationis, expositis; alterum jam affert Zetetarum Hypothesis, quod ex primo facilè statim consequitur, nimirum Dei definitionem: non eam quidem omnino exactam, & ad Logicorum regulas elaboratam: neque enim id fieri potuisset in Deo: ab iis præsertim, quorum illud primum est, ac præcipuum, ut non sit, nisi unicum Esse: qui autem duo sunt ipsius propemodum status, eorum alter quidem sit rei, & veritatis; alter verò adumbrationis cujusdam dumtaxat, & similitudinis. Sed nec eam definitionem affert, quæ nobis aperiat, quid sit Deus, ut est in se ipso, ad se ipsum; id enim penitus abditum, & a mortalium intelligentia remotum esse dicebant; sed, quid sit Deus, ut est in se ipso ad nos: hoc est, ut foras quodammodo spectat ad res creatas. Sic igitur apud antiquos Ebræos, in Schola Investigationis definiebatur Deus: *ipsum Esse*, vel, *Esse, ut est in se ipso*: sicut e contrario res creatæ; *Esse, ut est extra se ipsum*, vel, *ipsius Esse extra se progressio*. Objicientibus autem, in hac definitione id ipsum obscurum, atque involutum relinqui, quod maximè fuerat explicandum; ultraque inquirentibus, ac percunctantibus, ecquid rei sit, Esse in se ipso; respondebant; *Veritas* est. Atque hic tandem insistendum, & acquiescendum esse, dicebant: datum nobis non esse ultra progredi: id qui conentur, aut turpiter labi; aut retro, quod sanè turpius est, imprudentes referri. Iidem verò non prohibebant, ex his duabus Dei notionibus, ex *Esse* scilicet, & *Veritate*, definitiones alias informari, & procudi, in quibus cùm Esse ipsum, aut ipsa Veritas potissimùm emicaret, atque explendesceret; tum aliquid etiam alicunde assumerent, quod ipsis proprium quemdam definitionis veluti cultum, venustatem, speciem, & plus etiam fortasse lucis adjiceret. Cæterum *veri esse* rationem disertissimè exprimi volebant: quippe quæ Dei naturam a re omni creata, præ reliquis, distinguat, atque eximat: ei primario conveniat, atque ante alia omnia, quæ de ipso dicuntur: eaque sit, ex qua cætera dein-

deinceps, quæ de Deo recta & fides, & ratio docet, tanquam ex fonte facilè manent, ac profluant. Itaque, licèt in vetustissimis eorum monumentis alias etiam ab his duabus Dei veluti definitiones reperiam; omnibus tamen eadem prorsus subjecta vis est, & sententia. Ejusmodi, quod quidem ad *Esse* pertinet, illa sunt: *Esse verum*: *Esse maximè exemptum*: *Esse extra omnem modum, ac differentiam*. Tum, quod majorem emphasim habet: *Totum extra Totum*: &, quod idem est, sed, ut mos Gentis erat, symbolicè exprimitur; *Centrum Totius*: *Unitas rerum omnium*. Quod autem attinet ad *Veritatem*; horum simillima sunt: *Veritas separata*: *Veritas abstractissima*: *Veritas extra omnia vera*: quodque eandem metaphoram habet; *Centrum*, *Unitas verorum omnium*, *seu veri totius*. Quibus omnibus, ut per se statim apparet, profectò idem subest: Esse scilicet, ut est in se ipso: Esse verum: Veritas. Has igitur omnes Dei notiones, & alias, quæ procul dubio in eandem sententiam ex his effingi plurimæ possunt, probat, & amplectitur Zetetarum Hypothesis: in qua, cum non sit, nisi unicum Esse, ejusque duo, prope dixerim, status: primus quidem rei, & veritatis; alter verò adumbrationis, & similitudinis; Dei naturam ab omni natura creata his præcipuè notionibus distingui, discriminari, discludi, sejungi, consequens est. Primò; ut & Deus, & res creatæ sint Esse; sed, quia Deus est Esse reipsa, & veritate; illæ autem adumbratione, & similitudine; idcirco Deus dicatur, Esse ipsum; secus illæ: eo pacto, quo verus Moses, quòd Moses est re, & veritate; Moses ipse, propterea dicitur: ejus autem imago non item: quippe quæ Moses est quidem ille ipse, sed adumbratione tantùm, & similitudine. Secundò; ut quidquid est, dupliciter quodammodo sit: idest, ut, sicuti Deus est in se ipso, & extra se in rebus creatis; sic hæ vicissim sint in se ipsis, & extra se in Deo: verùm, quia Deus est in se ipso propriè, ac verè, non sic autem extra se in rebus creatis; ideo Deus Esse verum, seu Veritas rectè dicatur: è contrario autem, quòd res creatæ extra se quidem in Deo sunt propriè, ac verè; non sic autem in semet-

metipsis; propterea Esse verum, aut Veritas non dicantur: sed Esse veri imitatio, & falsitas potius, sive umbra quædam Veritatis. Tertiò denique, ut & Deus sit Totum; & res creatæ non quidem singulæ, sed universæ sint Totum; quia verò Deus est Totum Veritatis; illæ autem Totum sunt Adumbrationis; cum Totum ibi sit Verum, ubi est extra omnem modum, ac differentiam; ibi autem sit Adumbratum, seu minus verum, ubi est intra certos modos, ac differentias; rectè propterea dicatur Deus, Totum extra Totum, seu Totum liberum, atque exemptum a Toto, quodque idem significat, sed metaphoricè; Unitas, ac Centrum Totius: res autem creatæ; Totum ex Toto, seu Totum nexum, suspensumque ex Toto: ac metaphoricè tandem; Numerus, ac Sphœra Totius. Atque hæc explanandis omnibus Dei notionibus, e Schola Zetetica proximè allatis, quod alterum erat Hypothesis caput, dixisse sit satis. Si quid autem est, quod adhuc lucis indigeat, eam ex duobus hisce paragraphis, quæ consequuntur, facilè accipiet.

§. II.

AUCTORITATE

Stabilitur Hypothesis.

4. QUi Systema aliquod condit, satis is quidem Hypothesim suam Sapientibus approbat, si ejus ope, quidquid est in re illa magis difficile, & obscurum, aut quàm commodissimè explicat; aut certè commodius, quàm alius quivis aliam Hypothesim, & rationem sequutus. Ego verò, tametsi Hypothesis illa, quam nuper exposui, ejusmodi est, ex qua Dei perfectiones, atque excellentias declarari posse putem fortasse magis apertè, & dilucidè, quàm quantum ex iis fieri videam, quibus recentes Theologi aliis alii plerunque nituntur; quòd tamen hìc non tam philosophum, quàm interpretem ago; ac doctrinæ hujus non magis veritatem, quàm vetustatem mihi præstandam intelligo; pro-

propterea ipsam per se Hypothesim, seorsim, directòque, totius ferme antiquitatis testimonio, confirmare, & constabilire decrevi: ut cùm hæc ipsa, quæ Scholæ Zeteticæ omnia tribuo, non apud me nata, sed apud ejusdem Scholæ Scriptores inventa esse constet; tum, quæ ex his per me ipsum plura deinde colligam, & auctoritatem obtineant, & extra novitatis invidiam omnino sint. Quoniam verò Ebræos, una cum recta Fide, etiam doctrina defecit; ac, Christi Servatoris morte, nobis utraque hæreditas cessit; Schola Zetetica duplex distingui potest: vetus, & nova: Ebræorum prima, Christianorum altera. Utriusque Scholæ Zeteticæ communem dico Hypothesim illam, quam modo proposui: atque adeo totum Systema Metaphysicum, quod, his jactis veluti fundamentis, deinde superstruam: ita tamen, ut de utraque non æquè facile sit, adhibitis testimoniis, id confirmare. Nam Christiani Zetetæ, cum eorum libri quamplurimi extent, non admodum difficile est animo informare, quid senserint. Atque ego cùm hìc generatim, atque universè pro tota Hypothesi; tum particulatim deinceps pro singulis Thesibus, ea producam ex omnibus ferme Ecclesiæ doctoribus Græcis, & Latinis; quæ, ut argumentum sunt veritatis sanè gravissimum; i a suspicionem prorsus nullam relinquant novitatis. Contra verò ex Ebræis Investigatoribus, cum eorum scripta interierint, vix aliquid proferre possum, quod nuper à me dictis fidem affirmet. Ut igitur in eos etiam, immo primò, & præcipuè, Systema hoc metaphysicum referrem; eo, non ipsorum testificationibus, sed probabilibus quibusdam dumtaxat conjecturis adductum me fateor. Imitatusque sum, magnam partem, illorum consuetudinem, qui res philosophicas in disputatione, & dialogo tradiderunt: ut, licèt antiquis Ebræis ea plerunque aptarim, quæ ipse cogitavi; iis tamen nihil prorsus ab ipsorum Schola alienum affinxerim: nec quicquam dixerim, quod, si in eorum monumentis non extat, ex iis tamen, quæ extant, & Genti, & tempori non maximè congruere videretur. Quanquam & illud profiteri jure possem, me Ebræis quoque Zetetis nihil ferme at-

tribuere, quod ipſum, licèt multimodis obtectum, & involutum, in eorum monumentis non extet; ſi modò, ut Eſdræ nomen adſcriptum habent; ita Eſdram verè auctorem habuiſſent Ebraici quidam codices Cabbaliſtici, atque Symbolici, quos aut illos ipſos eſſe arbitror, aut certè eorum exemplum, quos Johannes Picus Comes Mirandulanus vir ſummo ingenio, ac præclariſſima eruditione *ſumma impenſa ſibi conquiſitos*, dicit in Apolog. cap. de Mag. & cum ibi, tum in lib. de Homin. dignit. eos Eſdræ adjudicat, ac miris planè laudibus extollit, ac prædicat: *Deumque teſtatur, ſe in illis vidiſſe Religionem non tam Moſaicam, quàm Chriſtianam..... eademque legiſſe, quæ apud Paulum, & Dionyſium, apud Hieronymum, & Auguſtinum quotidie legimus*. Verum enimvero, cum neque de auctore, neque de ætate horum voluminum mihi ſatis liqueat; etſi nihil ferme in toto hoc Syſtemate afferam, quod iis omnibus, qui hos libros habeant, ac rectè intelligant; non ex iis quodammodo effoſſum, atque erutum videri poſſit; ut tamen alia ſcrutatus ſum antiquitatis monumenta certiſſima, ibique non pauca deprehendi, quibus mihi viſum eſt de veterum Zetetarum doctrina ſatis conſtare; illa ipſa, qualiacunque ſunt, hic exhibeo: iiſque Hypotheſis noſtræ, quod quidem in præſens mihi propoſitum eſt, non ſolùm veritatem, ſed etiam vetuſtatem oſtendo.

5. Et primò quidem, ut ad rem aliquando veniamus, illuſtria quædam ſunt in hanc ipſam ſententiam apud Ethnicorum Sapientes, quæ quoniam ex Ebræorum ſcriptis, tanquam ex fonte, hauſiſſe, atque aſportaſſe dicuntur; ex iis omnibus trahi poteſt conjectura ſanè probabili, quid vetus olim Inveſtigationis ſchola doceret. Quare faciendum hic nobis eſt, quod ſerm.2. cont. Gent. ſuadet Theodoretus his verbis: *Sicuti, qui terram auri, & argenti feracem effodiunt, cum exigua quædam ramenta nacti fuerint, eorum veſtigia conſectantes venas ſcrutantur; neque priùs ab effodiendo deſiſtunt, quàm auri copiam invenerint, ex qua ramenta illa propagata ſunt; Ita nos oportet Anaxagoræ, & Pythagoræ, & Platonis, atque etiam Numenii, & Plutarchi, & Plotini, cæterorum-*

que

que sermonibus auditis fontem ipsum indagare, ex quo pauca quædam Divinorum laticum haurientes isti, libros suos locupletarunt: atque &c. Huc igitur pertinet, quod in fronte ipsa templi Delphici scriptum erat, τὸ εἶ: quo Divinitas significari vulgò existimabatur. Immo hodieque extat Plutarchi liber περὶ τοῦ εἶ, τοῦ ἐν Δελφοῖς: quo in libro vocabulum εἶ, *tu es*, Deo & soli, & primariò convenire, tradit his verbis: *Quam ei, quasi veram, ac propriam, adeoque solam, eique soli congruentem salutationem reddimus. Nos enim verè nullo modo sumus: sed omnis omnino natura mortalis, in quodam interitus, ortusque medio constituta, umbram sui duntaxat aliquam, exilemque, ac lubricam opinionem ostendit* Tum deinde Heracliti sententiam refert, & approbat; cujus illa sunt: *Nos in eundem fluvium bis ingredi non posse. Ita mortalem substantiam nemo bis attingit: sed repentino mutationis impetu dissipatur illico, rursumque colligitur: vel potius, ne rursum quidem, aut postea: sed existit simul, ac desinit: accedit simul, simulque discedit. Ecquid igitur illud est, quod verè est? Id unum utique, quod sempiternum est: quod ortu simul, interituque caret: cui nullum tempus mutationem affert. Mobile enim quiddam, semper fluens, non solidum aliquid, sed veluti vas ortuum, & interituum est tempus: cujus ipsæ appellationes hæ, Prius, Posterius, Erit, Fuit, fatentur, ipsum non esse. Facias enim fatuè, & absurdè id, quod nunquam dici potest esse; aut, quod jam esse desiit, si dicas, esse.* Subjungit præterea, ipsummet instans præsens, quod, Nunc, dicitur, Præterito, Futuroque distingui, ac distrahi: atque ita concludit: *Quòd, si idem accidit Naturæ, quam tempore metimur, quod mensuræ ejus; ipsa quoque nihil est permanens, nihil ens, sed omnia fientia, & intereuntia* γινόμενα πάντα, καὶ φθειρόμενα, *juxta eorum cum tempore comparationem. Itaque de eo, quod est, non licet dicere, fuisse, aut id fore: quæ verba inclinationem significant, atque discessum, & mutationem, quæ locum in eo, quod est, non habet. Deus autem, si ita dicendum sit,* EST*: & est nulla ratione temporis, sed æternitatis immobilis, tempore, & inclinatione carentis: in qua nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteri-*

teritum, nihil antiquius, nihil recentius, sed, una cum sit, unico NUNC *sempiternam implet durationem: &, hujus ratione, quod esse dicitur, verè est: non futurum, non præteritum, neque orsum, neque desiturum. Sic itaque Deus nobis venerationis studio salutandus, atque compellandus.*

6. Nec verò hac in re alia fuit vetustiorum philosophorum, atque adeo ipsorum antiquæ philosophiæ luminum, Pythagoræ, & Platonis sententia. Ad primum quod attinet; ejus mirificam, atque per celebrem τετρακτὺν, ipsum fuisse Dei nomen τετραγράμματον יהוה multis argumentis interpretati sunt Seldenus de dis Syr. Synt.2. c.1. & Wendelinus in sua dissertat. de Pythag. Tetract. Porro Dei nomen quadriliterum vel est illud ipsum, quod habetur in Exod.III. 14. אהיה *Ero*, Vulgata interpretatione, *Qui est*; quod docent Clemens Alexandr. l.5. Strom. & Theodoretus q.15. super Exod. aliique complures; vel certè ductum est ex Verbo Substantivo, quod vocant, natumque ex ipsa ejus radice היה: &, quod rectè notat Cregutus in Revelator. Arcan. p.595. ejus explicationes veluti quædam sunt, tum quod scripsit Moses in Exod. l. cit. אהיה אשר אהיה, quod Vulgatus interpres vertit: *sum, qui sum*, quia Futurum in Ebraica lingua rem perpetuam significat, & rationes continet præteriti, atque præsentis; tum quod scripsit Johannes in Apocal. 1. 4. Χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος: perinde ac, si diceret; *gratia vobis, & pax ab* ENS, *& ab* ERAT, *&* VENTURUS: Utcunque res ista se habeat, profectò Numenius Pythagoreus lib.2. de Bono apud Eusebium Præp. lib.11. cap.10. ex Magistri sui disciplina ita loquutus *Age verò, atque ad illud, quod est, quantum licet, aspiremus: omninoque pronuntiemus, quod est, id neque fuisse unquam, neque unquam futurum esse, at certo dumtaxat, præsentique tempore semper esse: quod sanè tempus hoc modo præsens, si quis æternitatem dicere voluerit, me authore quidem id faciat .... Quod enim est, sempiternum est, atque eodem modo sese constanter habet .... immotum, atque inconcussum per sese semper.* Tum de ipsa Dei notione, ac nomine ista subiicit: *Jam verò, simulatione omni posita, nosse me incorporei no-*

nomen ingenuè profitebor: cum id quidem pronuntiari jucundius videatur, quàm sileri. Et quidem illud ipsum, de quo jampridem quæritur, ei nomen esse contendo. Nec rideat hic quisquam, dum audit, proprium incorporei nomen, Essentiam, atque, Id, quod est, a me constitui. Nominis quippe hujus eam esse causam intelligat, quod neque ortum habuerit, neque interiturum sit: immo nec aliud prorsus ullum, seu motus, seu mutationis genus aliquando subiturum: sed omnino simplex, & immutabile sit: adeoque in eadem semper naturæ suæ ratione persistat: quòd ab illa nec suapte sponte; nec aliena vi, ac necessitate discedat. Sed neque extra veterum Ebræorum Hypothesim sunt, si rectè intelligantur, quæ de Pythagora ipso refert Justinus. M. in cohort. ad Græc. eum videlicet *philosophiæ suæ præcepta per symbola arcana tradidisse: Unitatem, rerum omnium originem esse, docuisse. Deum non extra, hunc mundi ornatum esse, sed ipsum in se totum in toto circulo generationes omnes inspicere, sæcula temperare &c. mentem totius circuli esse &c.* Eadem reperiuntur apud Clementem Alexan. in Admon ad Gent. Jam verò Plato quid senserit, clarè apparet, atque extat in Timæo: ut iisdem fere in locis iidem notant proximè memorati Scriptores, Justinus M. Clemens Alex. Eusebius: atque insuper Augustinus lib.8. de Civit. cap.11. ante hos verò Numenius Pythagoreus, qui hac etiam de causa apud Eusebium loc. cit. Platonem Mosem Atticissantem appellat. Sic autem scripsit Plato in Tim. *Primùm, meo judicio distinguenda ista sunt, quid est, quod semper sit, nec ullum habet ortum; & quod semper gignatur, nec unquam sit. Quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur, quod unum semper, atque idem est; alterum opinione per sensum rationis expertem attingitur, quod gignitur, & interit, nec unquam revera est.* Et post aliquanto pag. scilicet 37. edit. Serr. *Dies porro, & noctes, & menses, & annos, qui ante Cœlum non erant, tunc, nascente mundo, nasci jussit: quæ quidem temporis partes sunt. Nos verò illas temporis distinctiones, Erat, nimirum, &, Erit, æternæ essentiæ non rectè attribuimus: dicimus enim, Erat, Est, & Erit. At revera illi æternitati,* EST, *propriè tantùm quadrat.*

Erat

Erat enim, & Erit, temporis illius, quod nascitur articulis convenit: sunt enim motus. Quod autem eodem modo constanter, atque immobiliter habet, neque antiquius, neque recentius hactenus fuisse. neque etiam num existere, neque aliquando futurum, consentaneum est. Neque verò in illum cadere casum rerum quempiam, quibus res mobiles, ac sensui exposita ex ipsa generationis conditione subiiciuntur, Sed temporis aeternitatem imitantis, & ad numerum in orbem commeantis hae species sunt, & ad tempus hae quoque spectant; praeteritum esse praeteritum, praesens esse praesens, futurum esse futurum, &, quod non sit, non esse .... Tempus ad exemplar aeternae essentiae ideo factum est; ut mundus hic illi praestantiori, quoad fieri potest simillimus sit: ille enim mundus, bujus exemplar, omne per aevum Est: hic verò &c.] Quae hic Plato apertè, & expressè, eadem quasi involuta, & aliquot obtecta symbolis tradit cùm in sexto de Repub, ex quo multa refert Eusebius Praep. l.12. c.19. tum verò praecipuè in septimo: id enim significat Spelunca illa percelebris, quam ibi describit; nos scilicet, nostraque omnia, Divinorum esse totidem veluti umbras: ut unum quidem sit Esse, sed duplex quodammodo status, atque habitudo, veritatis nimirum, & imitationis: rei, atque umbrae, Immo verò sic etiam intelligenda puto, & ad verum, & Catholicum sensum, atque adeo ad ipsummet Ebraicum exemplar, unde expressa primùm sunt; revocanda, & castiganda, quae de Ideis ingeniosissimè disputat in Parmenide: non quidem, ut sint rerum formae, ac species, a rebus ipsis sejunctae, & abstractae; sed, ut sint res omnes in Deo, modo quodam exempto: tanquam scilicet in Unitate, atque in Centro: ac propterea de Deo ipso rectè illa dicantur, & locum, atque instar habeant definitionis: Esse maximè exemptum, Totum extra Totum, Veritas extra omnia Vera. Sed, ut omnes intelligant, non esse a me Systema istud aut elaboratum, procusumque in specu illo Platonis nuper memorato; aut certè ex ethnicorum philosophorum sententiis effictum; utque appareat in iis, quos modò citavi, sequutum me, Theodoreti admonitu, hortatuque, non quod ipsorum est; sed divinum aliquid, & sublustres

ſtres quoſdam Cœleſtis doctrinæ radios, quæ iis, procul dubio, per Ebræos affulſit; illud ipſum è ſacris Codicibus proferam, ex quo & illi, quod quidem videtur, præclara hæc effata, ſententiaſque modò relatas; & ego, quod de me ingenuè fateor, Hypotheſim hanc, ſic enim eam voco, duxi, & expreſſi.

7. Exod. III. 14. ita Deus de ſe ipſo loquutus: *Ego ſum, Qui ſum.... ſic dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos.* Locum hunc conſideranti mihi, itemque alia, quibus idem ferme ſignificatur, cujuſmodi eſt illud Jobi XXIII. 13. *Ipſe enim ſolus eſt*; & illud Annæ 1. Reg. II. 2. *neque enim eſt alius, extra te*; Immo & duo illa Dei nomina יהוה, & יה, quæ perinde, ut ipſum nomen אהיה, quod hic exprimitur, ex היה, communi radice, gignuntur; tum hæc omnia cum eo conferenti, quod apud probatos hiſtoricos me legere memini de D. Catharina Senenſi; eam, neſcio quando, Chriſtum Dominum ita alloquutum; *Catharina, Ego ſum, qui ſum; tu autem es, quæ non es*; hæc animum cogitatio ſubiit: veri Eſſe ratione, Deum a rebus creatis primariò diſtingui: ejus naturam propterea, quantum quidem mortales aſſequi poſſumus, definiendam per ipſum Eſſe, & Veritatem exemptam, ſeparatam, in ſe, atque ex ſe unicè aptam, & conſiſtentem: minus rectè ens ipſum principio dividi, ut ſint ſcilicet duo quaſi entium genera, finitum & infinitum, contingens & neceſſarium &c. unicum Eſſe ponendum potius, quod, quidquid eſt extra ſe adumbratione, & ſimilitudine; ſit in ſe ipſo, re, & veritate: ſic nempe, ut adumbratio, & ſimilitudo quædam rei, & veritatis ſint res creatæ; Deus contra adumbrationis, ac ſimilitudinis hujus res, & veritas ſit. Ita tandem melius intelligi, quod de Deo, ejus inſtinctu, & afflatu dixerunt Jobus, & Anna: ſuper omnia autem, quod de ſe ipſe Deus: *Ego ſum, qui ſum: tu autem es, quæ non es.* Deus enim, hoc eſt, Eſſe, ut eſt in ſe ipſo, verè eſt: Creatura autem, hoc eſt, Eſſe, ut eſt quodammodo extra ſe ipſum, imitatione, ac ſimilitudine tantummodo eſt. Quare, Deus quidem is eſt, qui eſt; Creatura verò ea eſt, quæ non eſt: eo fere pacto, quo

quo Moses, ut est in se ipso, est is qui est: ut verò est extra se in imagine, est is, qui non est: est enim Moses, sed pictus, fictusve: Moses autem, ut pictus, fictusve est, Moses verè non est: est igitur is, qui non est.

8. Nec verò minus commodè intelliguntur alia sexcenta utriusque Scripturæ loca, in quibus Deus Veritas dicitur, nexaque sunt locis his ipsis modò citatis. Nam, si res creatæ sunt id, quod non sunt; umbra tantùm, & falsitas sunt: neque in semetipsis veritatem habent, sed in eo, in quo sunt id quod sunt, hoc est, in ipso Esse, quod est Deus. Deus igitur veritas est. At enim, licèt imago verè non sit id, quod refert; verè tamen illud refert, ac vera est imago: quodque ex hoc sequitur, in semetipsa veritatem habet: siquidem veritas imaginis, ut imago est, non in re ipsa, quæ exprimitur, sed in ejus similitudine posita est: si enim non rei similitudo, sed res ipsa esset, imago non esset. Verùm, cæcosne usque adeo facere me putas Ebræos veteres, quibus ipsam hanc Hypothesim tribuo; ut ista minimè viderint? Viderunt oppidò: sed ea sibi nil prorsus officere ducebant: ultroque tibi darent, atque concederent, res creatas, eam in semetipsis veritatem habere, quæ propria est falsitatis: ut scilicet verè falsitas sit. Quanquam, cum verum nihil sit, nisi veritate; hoc ipsum, quod falsitas verè falsitas sit, per id verum est, quod falsitas non est. Quin illud ipsum, quod hic nobis obiicitur, Hypothesim nostram maximè comprobat. Quoniam enim res creatæ omnes ipsius Esse similitudinem quamdam verè exprimunt; atque hoc verè est in se ipso, quidquid creatum est, ipsius Esse videlicet imitatio, & imago; jam non est, nisi unicum Esse: nec distinguendum est ipsum, sed ejus tantummodo quasi status: illud ipsum enim, quod est extra se v. g. in animali rationis participe; est etiam in se ipso: sed in animali rationis participe quod est, est adumbratione, & similitudine: eaque adumbratio, & similitudo, est, & dicitur, Homo: quod autem est in se ipso, est re, & veritate: eaque res, & veritas, est, & dicitur, Deus. Sed, ne hic loquendi modus, qui novus fortasse aliquibus accidet, rem ipsam

am-

ambiguam faciat; quoniam in hac Hypothesi, ut dictum est §.1. n.3. quidquid est, est in duplici statu, veritatis scilicet, atque umbræ; pro duobus hisce statibus, rerum creatarum duplicem quodammodo veritatem distingui, non quidem jubeo, sed facilè patior: alteram primariam, exemptam, abstractam, quæ rectè veritas dicitur; alteram secundariam, concretam, contractam, quæ rectiùs falsitas diceretur. Illam res creatæ habent in Deo, hanc in se ipsis. Ut enim quidquid sunt, similitudine sunt; sic ejus quodcunque sunt, esse verum, aut, si ita loqui placet, veritas primaria est in Deo: esse autem adumbratum, seu veritas secundaria, quæ umbra quædam est veritatis, in ipsis est. Huc spectasse videtur Paulus Apostolus, qui utique, ut alii omnes ante ipsum sacri Scriptores, usque ad Mosem, Scholæ caput, ex Zetetarum numero fuit, collegasque suos, συζητητὰς appellat 1. ad Corinth. 1. 20. huc, inquam, spectasse videtur, cum scripsit ad Rom. 11. 36. *in ipso sunt omnia* & ab Ebræos 11. 23. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei : ut ex invisibilibus visibilia fierent* nimirum, ut ex statu rei, & veritatis, quem habent in centro, quod est Totum exemptum a Toto; progrederentur ad statum adumbrationis, & similitudinis, quem habent in sphæra, quæ Totum est nexum ex Toto. Id ipsum significare voluisse puto, Scholæ Zeteticæ lumen aliud, Johannem Evangelistam, primò quidem, cum scripsit Evang. I. 3. *quod factum est, in ipso vita erat*, hoc est, esse verum, quod, quia mutabile non est, ideo vita nuncupatur: cum contra esse adumbratum, in quod mutationes, ac vicissitudines cadunt, perpetua quædam mors sit. Secundò, cum scripsit Apocalyps. IV. 11. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*. Erant in veritate primaria, & exempta: Creata sunt in veritate secundaria, & concreta. Erant, quia quod sunt in se ipsis adumbratione, & similitudine; jam erant extra se ipsa re, & veritate: Creata sunt, quia quod erant extra se ipsa re, & veritate; nondum erant in se ipsis adumbratione, & similitudine.

9. Verùm hæc, quæ Dei spiritu afflati, & instincti loquu-

quuti sunt Zetetæ hi præclarissimi, stabiliendæ Hypothesi nostræ dicta sint satis. Nunc, quæ ex ipsius Scholæ Zeteticæ institutione in hanc rem loquutus est Philo, Hypothesi eidem, & his ipsis utriusque Scripturæ locis melius intelligendis; in medium proferenda esse judico. Nam, quamquam ejus ætate, ac fortasse, ipso etiam authore, ac duce, ut erat Gens a Deo, ac verò lumine aversa, Zetetæ ad ethnicorum philosophorum, ac nominatim Platonicorum opiniones delabi cœperant; quæ tamen ad Entis naturam pertinent, ubi etiam pleraque alia, adhuc integra retinebant: ac tibi certè in Philonis libris sæpius occurret, ubi doctrina Zetetica Platonicam corrigat; quàm ubi doctrina Platonica Zeteticam corrumpat. Is igitur in lib. de somn. *Considerans*, inquit, *an sit aliquod Entis nomen*, *satis didici nullum esse proprium*; *&*, *quodcunque dicatur*, *dici abusivè*. *Non potest enim dici aliud*, *quàm solum Ens*. Hinc in Comment. de nom. mutat. *Hæc*, *inquit*, *verba*, *Ego sum Deus tuus*, *dicuntur abusivè*, *non propriè*. *Nam Deus est*, *qua ex parte est*, (hoc est in se ipso, seu in statu veritatis) *verè id quod est*: *non quomodo id quod est ad ea refertur*, *quæ cum aliquo conferuntur*. *Divinum siquidem Nomen se ipso plenum est*, *ipsumque sibi sufficit*: *idemque sibi par ante mundi ortum*, *& post universitatis molitionem*. *Immobile nanque*, *atque immutabile est*, *nulla re planè indigens*: *ita ut ipsius quidem sint omnia*: *ipsum verò propriè nullius existat*. Habes Philonis sententiâ, esse verum suis propriis caracteribus insignitum: ut sit nempe id quod est, ut sit maximè exemptum, extraque omnem modum, & differentiam. Idem super Exodi locum a nobis primò exhibitum, *Nonne vides*, inquit in eodem Comment. *Quid dicat Prophetæ studiosè veritatem ipsam percunctanti? Ego sum*, *qui sum*: *perinde ac si dixisset*, *Natura mea est*, ESSE. Eadem fere scribit in Tract. de Deterioris invas. in id, quod melius est: *Ex virtutibus*, inquit, *ea quæ Dei est*, *revera est*, *secundùm esse consistens*: *quoniam & Deus solus in esse stat*: *quam ob causam necessariò de se ipso dicit*; *Ego sum*, *qui sum*: *tanquam ea*, *quæ post se sunt*, *revera non sint*, *sed sola hominum opinione*. Item in libris de Abrahamo: de

Somniis: de Vita Mosis: de Immutabil. Dei: de Præmiis, & Suppliciis: sacrarum Scripturarum testimonio, proprium Dei nomen esse dicit, *ὁ ὢν*, *existens, quia solus existit*. Luculentissimum illud: *Dixit Moyses*, inquit, *at si percunctati ex me fuerint, quod nomen ei sit, qui me miserit, eique dixero, ne me quidem posse explicare; nonne eos circumvenire, ac fallere videbor? Tum Deus, responde, inquit, quod ego sum ille, qui est: ut intelligant, quantum inter eum, qui est, & qui non est, intersit: doceantur insuper nullum mihi propriè nomen convenire, qui solus habeo* IPSUM ESSE. Denique ea, quæ supra docuimus de duplici rerum statu, veritatis in Deo, similitudinis in se ipsis, planè confirmat in libro de Mundi opificio: quanquam ibi & minus castigatè loquutus, & minus rectè forsitan sensit, quàm quod pati possit Catholica veritas: quippe qui abstractas rerum formas, quas nos earum esse exemptum, ac veritatem primariam nuncupavimus; quamvis ponat in Deo; a Dei tamen natura non cogitatione solùm, sed re ipsa videtur distinguere. Quod contra nos fecimus, qui rationem veri Esse, seu Veritatis a Dei natura, non quidem ut est in se ipsa ad sese, de hoc enim non loquimur; sed, ut est in se ipsa ad nos; ne cogitatione quidem distinguendam duximus. Sic autem scripsit Philo: *Deus, ubi pro sua Deitate prævidit imitamentum pulchrum non posse absque exemplari pulchro existere... postquam decrevit visibilem hunc mundum condere, prius formavit simulacrum ejus intelligibile*, minus durè in exemplari Græco: *προεξετύπου τὸν νοητὸν*, *ut ad exemplar incorporei, Deoque simillimi, corporeum absolveret mundum recentiorem hunc antiquioris effigiem, totidem complexurum sensibilia genera, quot in illo intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex ideis constat, nefas est loco ullo, dicendo, cogitandove circumscribere: sciemus tamen quo pacto consistat si consideraverimus aliquam rerum nostratium similitudinem.* Hic architecti exemplum affert, qui ingentem urbem, & magnificam conditurus, prius in mente sua totam futuri operis speciem, formamque delineat, atque intelligibilem quodammodo describit urbem: qua subinde velut exemplari utitur; ad quod externæ, & aspectabilis urbis ædificatio-

nem dirigit. *Eodem ferme*, inquit, *modo de Deo sentiendum est, qui, ubi decrevit ingentem hanc urbem condere, prius formas ejus concepit: ex quibus, postquam intelligibilem mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit*. Tum, aliquibus interjectis, singula persequens; *ante omnia*, inquit, *Conditor fecit in mundo intelligibili cœlum incorporeum, & terram invisibilem, & aeris ideam, & vacui*. Sed quid de ideis, atque exemplaribus rerum in mente Divina existentibus Investigationis schola doceat, cùm vetus apud Sapientes Ebræos, tum nova apud Christianæ Ecclesiæ Patres; latè exponemus, cum de Intelligentia, & Voluntate Dei suo & loco, & tempore nobis tractatio erit. Hic adjungendus Philoni R. Moses Maiemonides, qui, quamvis ætate longè posterior sit; in eo tamen doctrinæ Zeteticæ reliquiæ multæ sunt, & perspicuæ. Ejus generis est, quod scriptum reliquit More Nevoch. l. 1. c. 63. de Dei nomine *Ehieh. Ero*: quod Vulgatus interpres vertit, SUM, & EST: *Nomen hoc*, inquit, *derivatum est a verbo Hajah, quod Essentiam, vel Existentiam significat: perinde enim est sive dicas Hajah, sive Nimza in Ebraica lingua. Totum verò hujus mysterium positum est in eo, quod repetivit eandem dictionem, quæ existentiam significat, per modum attributionis, vel prædicationis. Nam pronomen relativum, Qui, continet in se mentionem attributi alicujus inhærentis sibi: quippe quod nomen sit imperfectum, & adjunctum sibi nomen aliud requirit. Et positum est nomen primum, quod subjecti vicem sustinet, Ehieh, Ero; & nomen secundum, quod attributum ejus est, itidem vocatur, Ehieh, Ero: & vox planè in substantia eadem cum priore. Quasi ostendere vellet, subjectum ipsum idem in substantia esse cum attributo: ut hæc totius rei declaratio sit; Deum existere, sed non per existentiam* ipsi quodammodo advenientem: cum sit Existere, atque Esse ipsum: utque idem hic Author scribit cap. 69. cum *per ejus Existentiam omnia existant, non quidem, tamquam per formam proximam, & immediatam; sed remotam, & ultimam*. Illud verò nobis apprimè favet, quod docuit cap. 56. τὸ *Ens, vel Existens, & reliqua, quæ de Deo dicuntur, ut, Volens, Sapiens, Potens, Vivens, de Deo, & rebus creatis merè æquivocè,*
&

& ὁμωνύμως dici , non autem analogicè : quia nempe , si res creatæ cum Deo comparentur , hæ perfectiones in ipsis esse verum non habent , sed adumbratum : &, quoniam res creatæ quidquid sunt , similitudine sunt ; nec ea similitudine, quæ intercedit inter filios , & patres ; sed ea , quæ intercedit inter res pictas , ac veras , idest , similitudine , quæ sit extra rationem esse veri ; hinc quacunque ratione componantur cum Deo , nullâ conveniunt : ad eumque ita semper se habent , uti verum ad falsum . Quare locum illum ita concludit : *nullam planè esse participationem inter Proprietates illas , quæ Deo attribuuntur , & inter nostras , nisi tantùm in nomine . . . eas nudo , & solo nomine communicare* . Postremum addo Ebræum alium Scriptorem Josephum Albo , cujus est liber de fundam. is enim l.2. c.27. *Nomen entis* , inquit , *tribui non potest ulli rei nisi Deo . . . Deus benedictus , quia semper permanet in eodem statu , ipsius esse verum est ens* . His alia quædam in hanc sententiam ex aliis etiam Rabbinis adtexi possent : quia verò hi omnes multo post Hierosolymæ excidium scripserunt ; quo tempore doctrina Zetetica jam ad Christianos transierat ; Ebræique innumeris quà Ethnicorum philosophorum erroribus , quà Talmudicorum fabulis impliciti erant ; Catholicæ Ecclesiæ Doctores audire præstat , ac veram , synceramque veterum Zetetarum doctrinam ex iis haurire . Nec verò, quod nimis sanè longum , &, cum idem omnes doceant , etiam supervacaneum foret , novos hosce Zetetas singillatim omnes adire , & consulere statui : sed aliquos tantum cùm ex Græcis , tum ex Latinis , qui clariùs , ac distinctiùs hæc tradiderunt .

10. Ex Græcis quidem primus occurrit Dionysius Areopagita . Is cap.5. de Div. nom. §.4. *Agedum* , inquit , *laudemus bonum , tanquam verè existens . . . Ex eo* , QUI EST , *ævum , & substantia , & existentia , & tempus , & generatio , & quod gignitur . Est ea quæ sunt , in iis , quæ sunt , & quæ quocunque modo existunt , & quæ per se existunt . Deus enim non quovis modo est ens , sed simpliciter , ac non determinatè ἁπλῶς , καὶ ἀπεριορίστως totum esse in se pariter complexus , & anticipans : quamobrem etiam Rex sæculorum nominatur , quoniam in ipso , & cir-*

& circum ipsum ἐν αὐτῷ, καὶ περὶ αὐτὸν, instar centri, *totum esse & est, & subsistit*. Deinde §. 5. Dei notionem primariam esse affirmat, *ipsum Esse*: quoniam hujus primùm Deus res creatas participes facit. *Ipse*, ait, *est ante omnia, & universa in ipso consistunt, & simpliciter, si quid quomodolibet existit, in ipso præsente tum est, tum intelligitur, tum salvatur: &, ante alias ejus participationes, præsupponitur ipsum esse, & ipsum per se esse est antiquius, quàm esse per se vitam, & per se sapientiam, & per se similitudinem divinam &c. Primum igitur donum*, subjungit §. 6. *per se esse, cum illa supra quam bonitas producat, meritò ab antiquiore, & prima omnium participationum laudatur; & est ex ipsa, & in ipsa ipsum per se esse, & rerum principia, & omnia quæcunque sunt, & quæ quomodocumque sunt; idque incomprehensè, & copulatè, & singulariter*. Ad hæc verò Maximus, ejus interpres. *Hoc nomen*, inquit, *imposuit sibi Deus, cum dixit: Ego sum, Qui sum: a quo idcirco consentaneè laudatur, ante alia, quæ de ipso dicuntur, qualia sunt nomen vitæ, sapientiæ, & alia ejusdemmodi... In hoc enim, primo statim incubitu, mens intendit, ac primum cogitat ipsum esse, deinde sic quodammodo esse ista considerat. Quamobrem simpliciter esse, non quodammodo esse demonstravit, cum dixit; per se ipsum esse*. Neque alia est interpretatio Pachymeræ: *Hæc*, inquit, *in quantum sunt, & apparent in rebus, ipsum esse participant, ita ut ex eo etiam ipsa sint: & nullum est ens, quantumvis subsistens, vel in altero consideratum, siquidem etiam entia per accidens sunt, quæ in altero considerantur, cujus essentia non sit ipsummet per se esse Dei. Cæteris omnibus, vità, inquam, sapientià, bonitate, antiquiorem habens Deus ab ipso esse denominationem, quam sibi ipsi dedit, dicens; Ego sum, Qui sum*. Quod ait, nihil esse, cujus *essentia* non sit ipsummet per se esse Dei; ne Almericus, & ab eo qui sunt, sibi vindicent; intelligendum est, ex Zetetarum sententia, de illo esse, ac veritate, quam, suis quæque differentiis exemptam, res omnes habent in Centro, hoc est, in Toto extra Totum, quod est ipse Deus, esse verum, quia maximè exemptum. Quare D. Thomas super hoc Dionysii caput lect. 1. S. Doctorem *Platonicis in aliquo consen-*

consentire, in aliquo dissentire, ait. *Consentire quidem cum eis, in hoc; quod ponit vitam separatam per se existentem, & similiter sapientiam, & esse, & alia hujusmodi. Dissentire autem ab eis in hoc, quod ista principia separata non dicit esse diversa, sed unum principium, quod est Deus.* Quæ, ut patet, ipsissima est Zeteticæ Scholæ doctrina. Quin ipsas etiam veterum Zetetarum metaphoras; ex Monade, ac Centro ductas, sequutus est Dionysius: de Deo enim sic scripsit lib. cit. cap. 1. §. 1. & 2. *Unitas effectrix universæ unitatis... quæ quiescit extra omnia, quæ sunt... ab omnibus super essentialiter excepta* ὑπερουσίως ἐξῃρημένη. Tum §. 6. *Ipsum*, inquit, *in mentibus, & in animis, & corporibus, & in cælo, & in terra, & simul in eodem eundem, in mundo, circa mundum, super mundum, supracælestem, suprasubstantiam, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, per se lapidem, petram, omnia quæ sunt, & nihil eorum, quæ sunt.* Nempe in ipso sunt hæc omnia, sed modo quodam prorsus exempto: &, ut statim subjicit S. Doctor §. 7. *unitè, invictè, exemptè* ἡνωμένως, ἀχέτως, ἐξῃρημένως. Clarius cap. 2. §. 5. *Distinctione Divina*, inquit, *unitæ sunt incomprehensibiles istæ communicationes, substantificationes, sapientificationes &c. sicut punctum centri in medio circuli, & ab omnibus lineis rectis, quæ sunt in circulo circumpositæ, participatur; & sicut multæ figuræ sigilli expressæ archetypum sigillum participant &c.*. Tum §. 11. ex Hierotheo *conjunctè*, inquit, *distinguitur, amplificatur autem unicè, multiplexque fit ex uno, nec ab unitate discedit... in se ipso manet, in multiplicatione unus, & in emanatione unitus, atque in distinctione perfectus, quòd sit ab essentiis omnibus super essentialiter exemptus... Totum non ex partibus*. Item cap. 5. §. 6. *In Deo est ipsum per se esse, & rerum principia, & omnia quæcunque sunt, & quæ quomodocunque sunt: idque incomprehensè, & copulatè, & singulariter. Siquidem in Unitate omnis numerus uniformiter præexistit: habetque Unitas in se ipsa singulariter omnem numerum: & omnis numerus in unum copulatus est, & in Unitate est: &, quanto longiùs ab Unitate progreditur; tanto magis dividitur, & multiplicatur. Et in Centro omnes lineæ circuli una copulatione simul existunt:*

stant: & Punctum habet omnes rectas lineas uniformiter copulatas inter se, & cum uno principio, a quo exierunt: & in ipso Centro omnino copulatæ sunt, & parum ab eo distantes, parum dividuntur; magis autem distantes, magis: &, ut semel dicam, quanto sunt Centro propinquiores, tanto magis cum eo, & inter se copulantur: &, quanto magis a Centro distant; tantò magis & inter se distant. Mox, paucis interjectis, *Etenim non hoc quidem est, illud verò non est: nec aliquo quidem modo est, aliquo verò non est; sed potius omnia est:* omnia scilicet, ut statim addit, *in se continens, & anticipans* συνέχων, ϗ προέχων *.... principia, & media, & fines rerum solutè, & abstractè in se ipso anticipata habens* ἐξῃρημένως ἐν ἑαυτῷ προειληφὼς *... universa ipsi entia, secundùm unam ab omnibus exemptam Unitatem* κατὰ μίαν τὴν πάντων ἐξῃρημένην ἕνωσιν, *sunt attribuenda... In uno, ut sæpenumero dictum est, omnia, quæ sunt præhabet, & existere fecit: præsens omnibus ubique, secundùm unum, & idem, &, secundùm idem omne: in omnia means, & in se manens: & stans, & se movens; neque stans, neque movens... & a tempore, & ab ævo; & ab iis, quæ sunt in ævo, & ab iis, quæ sunt in tempore, segregatur* Similiter cap. 10. §.1. *Ipsum Esse, dicit, ex se; velut ex omnitenente radice, cuncta producere: atque ad se, tanquam ad fundum omnitenens universa convertere... immobile esse, & semper moveri, manens in se ipso.* Tandem cap. ult. §. 2. *Unus autem*, inquit, *quia est omnia unicè, secundùm excellentiam unius Unitatis, & omnium causa non amittendo suam Unitatem: nihil enim illius Unius expers est: sed, quemadmodum omnis numerus participat unitatem, atque unus binarius, denariusque dicitur, & dimidium unum, unaque tertia decimaque; similiter etiam omnia, & quælibet particula particeps est Unius: & hoc ipso, quoquid unum sunt; etiam omnia sunt, quæcunque sunt. Neque verò Unum illud, quod est omnium causa, unum quid est ex pluribus, sed quod ante omne unum, omnemque multitudinem, omne unum, multitudinemque definit... Neque quidquam est in rerum natura, quod non secundùm aliquid participet unum in Illo, quod per omnia unicum est, & omnia, etiam universa, & opposita unicè anticipavit... Hoc modo unus est Deus, & Pater: & unus Dominus Jesus Chri-*

Christus: atque unus, idemque Spiritus, per supra quam abundantem totius divinæ Unitatis indivisibilitatem, in qua omnia unicè sunt conjuncta, & supraquam unita, & praexistentia supra substantiam. Hæc Dionysius: quibus satis apertè declarat, quod a nobis, de veterum Zetetarum sententia, positum est: esse Deum, ipsum Esse extra omnem modum, ac differentiam: Totum extra Totum: sive, ut in hoc ult.cap. scripsit Maximus, *Omnia supra omnia*, Centrum, Unitatemque rerum omnium. Jam verò, quòd res omnes in Unitate, & in Centro sint verè, & propriè; secus verò extra illud in se ipsis, atque in sua quæque differentia; seu, quod idem est, quòd Deus sit Veritas; res autem creatæ Veritatis imitatio, atque adumbratio; docet Dionysius idem lib. ejusdem cap.8. §.6. his verbis: *Veritas est id, Quod est: & a Veritate defectio, est ab essendi statu dimotio. Si itaque Veritas est id, Quod est; negatio autem Veritatis, est ab essendi statu prolapsio; utique ab esendi statu frustrari Deus nequit &c.* Animadvertit autem opportunè Dionysius, quod nobis infra usui erit, ex eoque statim consequitur, quòd, ut habet Hypothesis, Esse in se ipso non est, nisi re, & veritate; extra sese non est, nisi adumbratione, & similitudine; animadvertit, inquam, disertèque docet, esse illud, quod res habent in Deo, non esse ejus simile, quod res eædem habent in se ipsis: sed contra, quod habent in se ipsis, ejus simile esse, quod habent in Deo: ut nimirum unum esse sit Vertitas, alterum sit quodammodo umbra: seu, quod idem, apud Zetetas, significat, ut Esse in uno statu sit veritate sui; in altero autem sit imitatione, atque umbrà. Sic autem loquitur Dionysius cap.9.§.6. *Hæc est*, inquit, *divinæ similitudinis vis, ut omnia, quæ producta sunt, ad authorem suum convertat. Ista igitur Dei similitudo dicenda sunt, ut ad ejus imaginem, & similitudinem effićta: non autem Deus iis similis dicendus est, quia ne homo quidem est imagini suæ similis &c.* Super his autem Maximus: *Neque nos*, ait, *similes sumus imaginibus nostris, v.g. cereis, æreisve, quæ alterius substantiæ sunt, quàm nos, parumque similes. Quin etiam aliter dicitur homo haud similis imagini suæ, quòd imago quidem ad*

D *homi-*

hominis similitudinem facta sit , non autem homo ad similitudinem hujus . Horum autem omnium est illa ratio , quam hic sapientissimus Dionysii interpres in capit. Theolog. his verbis tradidit : *Quod secundùm essentiam propriè est bonum , est, quod neque principium , neque finem , neque causam , ut sit , neque motum ullum secundùm ipsum esse ad causam aliquam habet . Quod autem non est ejusmodi , ne propriè quidem est ens , utpote quod principium , & finem , & causam ut sit , & motum ad causam habet , secundùm esse ipsum . Porro quod propriè non est , tametsi dicatur esse , participatione ejus , qui propriè est , voluntate & est , & esse dicitur .* Nimirum , nihil , quod est in Deo, ut in Deo est, est similitudo ejus, quod est in rebus : sed contra, quod est in rebus , ut in rebus est , est similitudo ejus, quod est in Deo: ea nempe de causa,quòd Esse in Deo,hoc est, in se ipso , *verè est ;* secus verò in rebus , hoc est , extra sese .

11. Hactenus Dionysius , ejusque Interpres Maximus : nunc aliquid ex aliis etiam Græcis Patribus breviter perstringendum . Justinus , vel potius Author Quæstionum ad Orthod. q. 50. idem prorsus significare docet Dei nomen אהיה , ac nomen יה : sic enim explicat vocem *Alleluja* , ut sit , *laudate carmine id', Quod est* . Vide præterea quæ scribit Justinus de nomine ipso , *Qui est* , præcipuè in Cohort. ad Græcos . Qua in oratione illud etiam ostendit , è Sacris Codicibus desumpta esse , quæ de Ideis docuit Plato : ut quod ajunt Christiani Zetetæ , esse in Deo rerum omnium separatam veritatem , seu esse verum ; id non accepisse a Platonicis , sed recepisse potiùs videantur : quodque Ethnici interverterant , atque vitiarant ; tanquam suum recuperasse , & ad ipsummet sacrorum librorum exemplar restituisse , ac reformasse dicantur . Justino subscribit Clemens Alex. Strom. 5. & apud Euseb. Præp. l. 11. cap. 25. Durum est autem , nec , nisi ex Zetetarum doctrina , ad verum , & Catholicum sensum perduci potest , quod ibi scribit , *duplicem esse mundum , alterum intelligibilem , alterum sensibus expositum : & illum quidem archetypum , hunc verò præclari exemplaris imaginem* . Idem planè in sententiam nostram 1. Pedag. c. 8. Nomen illud ὁ ὢν idcirco Dei maximè pro-

proprium putat: *quia illum exprimit, qui revera solus est: qui erat, & est, & erit: quibus significandis temporibus unum nomen impositum est, Qui est.* Sic ejus auditor Origenes homil. unica in lib. Reg. id explicans, quod legitur in Cant. Annæ, *Nihil est, præter Te; Nihil*, inquit, *eorum, quæ sunt, hoc quod sunt naturaliter habent, Tu solus es, cui quod es; a nullo datum est. Nos enim omnes, idest, universa creatura, non eramus, ante quam crearemur: & ideo, quod sumus, voluntas est Creatoris.* Tum paulo post ad illud Exodi, *Ego sum, Qui sum; Si aliud aliquid*, inquit, *in creaturis hoc nomine, vel hac significatione appellari posset, nunquam diceret Dominus, hoc sibi esse nomen....sciebat enim, se solum esse, creaturas verò a se accepisse, ut essent. Nam & umbra ad comparationem corporis non est, & fumus ad comparationem ignis non est.* Ad rerum autem veritatem primariam, & exemptam illud aptari potest, quod habet Tom.1. in Johann. p.165. *Universa facta fuisse, juxta rerum futurarum rationes, jam antea a Deo manifestatas in Sapientia. Omnia enim in Sapientia fecit. Dicendumque esse, Deum, cum animatam Sapientiam, ut ita loquamur, creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris, & speciebus, quas ipsa, ut opinari se dicit, habebat; subsistentiam, & plasmationem, & formas præberet entibus, & materiæ.* Creatam quod dicit Sapientiam, emolliendum ex eo est, quod legitur Eccl.1.4. & Proverb.VIII. a n.23. Sed de hoc agemus in tractatu de Deo Trino. Eusebius sæpe citatus. *Propterea*, inquit, *quòd dictio, quæ nominis expertem explicaret, inveniri non potuit, dic, ait, Qui est: nam vox illa, Qui est; rem, non nomen Dei significat.* Athanasius orat. contr. idol. *Deus autem, qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit, quapropter & ejus ratio est,* IPSUM ESSE.... *Si enim singula conjuncta totum explent, & totum ex singulis constituitur; nimirum totum erit partium totum, & singula erunt partes totius. Longissimè abest, quàm ut de Deo tale aliquid sentias. Deus est totum quiddam, ac non pars aliqua, neque ex diversis constat &c.* quasi dicat, Deus quidem est Totum, sed, quia est Totum exemptum, extraque omnes differentias, ideo partibus caret. Basilius

Magn. l.2. adv. Eunom. *Deus, cum ad servum suum Mosem oracula ederet, convenientem sibi, & suæ decoram æternitati appellationem invenit.... quoniam Deus est, Qui est, & Veritas &c.* Hinc in fine ipso lib.3. *Cum transierimus*, inquit, *tempus hoc, in quo per speculum, & enigma Veritas videtur.* Veritatis deinde nomen notionaliter sumptum explicat de Verbo Dei lib.5. Sed de hoc pariter in tractatu de Trinitate, Gregor. Nazianz. Orat.36. quæ est 2. de Filio, 4. de Theolog. *Quantum ergo*, inquit, *nobis assequi concessum est*, ENS, *&* DEUS, *magis quodammodo substantiæ nomina sunt: ex iisque etiam* ENTIS *vox ad eam indicandam aptior est*, rationem autem subiicit, quia nempe vox, *Deus*, uti etiam vox, *Dominus*, non planè libera est, & exempta: at nos, inquit, *naturam ejusmodi exquirimus, quæ* IPSUM ESSE *per se habeat, ac non cum alio quopiam copulatum.* ENS *verò proprium sanè est Dei, ac totum nec priore aliqua re, nec posteriore (nec enim* ERAT, *aut* ERIT) *definitum, ac circumcisum.* Quòd autem hìc notat Gregorius iis verbis *nec* ERAT, *aut* ERIT; explicat orat.38. de Christi Nativ. & 42. in Pascha: in quas ambas transtulit locum Platonis illustrem a nobis supra descriptum ex Timæo: *Deus*, inquit, *& erat semper, & est, & erit: vel, ut rectiùs loquar, semper* EST. *Nam* ERAT, *&* ERIT, *nostri temporis, fluxæque naturæ segmenta sunt. Illa autem semper* EST, *atque hoc modo se ipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum edit. Universum enim id, quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans; mente sola adumbratum, & quidem perexiguè, ac perobscurè, non ex his, quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum: alia nimirum, atque alia imagine ad unum aliquod veritatis simulacrum exprimendum collecta; priusquam teneatur, effugiens &c.* Gregorius Nyssenus proprium, *Divinitatis caracterem nobis exhibitum in eo nomine, Ego sum, Qui sum*, dicit orat.7. cont. Eunom. Idem in Vita Mosis. *Deus*, inquit, *est Veritas, quæ tunc per ineffabilem illuminationem illam Moysi manifestata est... longis autem spatiis temporum altiori per quietem animo meditari oportet, ut*

ut firmiter intelligere possis, quid sit, quod verè est, quod natura sua est: quid, quod non est, quod solum esse videtur, cum per se, atque naturam suam minimè sit. Mihi enim videtur magnus ille Moses in ea visione didicisse, nihil earum rerum, quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente perspiciuntur, præter summam essentiam, quæ omnium causa est, a qua omnia dependent, verè esse. Epiphanius Hæres.69. n.70. *Usia non est perjusia. sed illud ipsum, quod est: sicut Moses dixit; Qui est, misit me &c. Itaque Qui est; est ens: ens autem, est ipsa essentia, quæ est*. Johannes Chrysostomus in Serm. de Trinitat. *Sicut*, inquit, *non licet dicere de Patre, quod non sit lux vera; & de Filio quod non sit Deus verus; Ipse enim dixit, Ego sum Veritas; ita & de Spiritu sancto &c. Moses dicit, Qui est misit me. Qui est, est Pater: Qui est, est Filius: & habet se Qui est, ad eum Qui est, absque principio, & non in tempore &c.* Idem Homil.14. in cap.1. Johan. *Hoc verbum, Qui est, sempiternum, & sine principio, & verè, & propriè esse significat.... Hæc enim omnia umbra sunt &c.* Hinc ad illud, quod est in Psalm.24. *Dirige me in Veritate tua; Quæ est enim Veritas*, inquit, *nisi ille &c. in hac Veritate persistite.... dies nostri velut umbra, quia totum esse nostrum ad non esse tendit*. Cyrillus Alexand. in primo dialogorum sub ipsum fere initium, τὸ ὤν, & οὐσίαν de solo Deo *propriè* usurpari contendit: de creatis autem rebus *abusione nominis*. Quare 2. dialog. *Liquet*, inquit, *in substantiis definiendis primùm quidem a genere, tum per convenientem unicuique specificam differentiam esse procedendum.... in Deo autem genus ullum nominare a recta ratione alienissimum est: ea nempe de causa, quia nulli rationi subiicitur, nulla est ipsi communis cum rebus creatis*, quoniam ab omni, quod Deus ipse non est, ea ratione differt, quæ est omnium prima. Quod autem Deus sit Veritas rerum, in eoque sit omnium esse exemptum, & quædam quasi forma, non proxima, & immediata, sed ultima; docet cap.6. in lib.1 Johan. his verbis. *Non solum*, inquit, *per ipsum facta sunt universa; sed, quæcunque facta sunt, unigenitus Dei filius principium, & subsistentia omnium, tam visibilium, quam invisibilium, in ipsis vita erat. Nam, cum ipse sit per naturam vi-*

vita, *tam esse*, *quàm vivere*, *& moveri rebus benignissimè largitur*. *& variè*: *non divisibiliter*, *aut commutabiliter in singula*, *quæ naturâ differunt*, *immissus*: *sed*, *cum ipse vita una sit omnium*, *omnia penetrans*, *a singulis*, *prout fieri potest*, *ac decet*, *recipitur*. Damascenus l.1. de Fide ort. c.9. §.2. *Ex omnibus*, inquit, *nominibus*, *quæ Deo tribuuntur*, *nullum æquè proprium videtur*, *atque ὁ ὢν*, *idest*, *Qui est*, *quemadmodum ipsemet*, *cum Mosi &c. Nam totum esse*, *velut immensum quoddam*, *ac nullis terminis definitum essentiæ pelagus complexu suo ipse continet*. quæ exscripsit ex Nazianzeni orat. supra cit. Idem in sacris paral. lit.o. tit.19. pag.784. tom.2. ad illa verba Exod.III. 14. *Ego sum*, *Qui sum*, affert interpretationem Philonis. Orat. autem 2. de Imag. super illis Apostoli verbis Ebræ. VIII. 4. *Qui exemplari*, *& umbræ deserviunt Cœlestium*, *sicut responsum est Mosi*, *cum consummaret tabernaculum*. *Vide enim*, inquit, *facito*, *secundùm exemplar*, *quod tibi ostensum est in monte*; ita scribit num.23. *Considera tum legem*, *tum ea omnia*, *quæ lege præcepta sunt*, *quin & universum cultum nostrum*, *λατρεία*, *manufacta sancta esse*, *quibus per materiam ad Deum*, *qui a materia procul remotus est*, *ducimur*: *itemque legem*, *& omnia*, *quæ lege constituta sunt*, *adumbrationem quandam fuisse imaginis*, *hoc est*, *nostri cultus*: *cultum verò nostrum*, *futurorum bonorum imaginem esse*: *ipsas denique res*, *esse supremam illam Hierusalem*, *quæ a materia immunis est*, *nec manufacta &c.* Ex his verò interpretationem Catholicam accipere potest, quæ de Cœlesti Hierusalem extant in veteri codice Ebraico cabbalistico, cujus meminimus num.4. ibi enim cùm vetus illud axioma Ebræorum expenditur. *Nihil factum in terris*, *quod non habeat exemplar in Cœlis*; tum super his illa adjiciuntur: *Mortalis Hierusalem*, *Hierusalem immortalem*, *ac planè Cœlestem indigitat*, *longè illa gloriosiorem*, *beatioremque*. *Caduca corporibus ædificata est in solo*, *permanens verò altera*, *æternumque duratura promittitur animabus in Cœlo*, *quæ ex Sapientia*, seu, Veritate, *præfulgens*, *Solis*, *vel Lunæ non indigebit luminibus*. Sed, ut ad Damascenum revertamur, insigne illud est, quod de illo esse, ac veritate exempta, quam res quæque futu-

futuræ habent in Deo, docet orat.3. de imag. n.19. *Alterum est*, inquit, *imaginum genus, illa, quæ in Deo est, notio rerum, ipso auctore. futurarum, hoc est, consilium ejus æternum, quod eodem semper modo se habet. Deus enim immutabilis est. Quejus consilium omni principio caret; per quod scilicet ea, quæ ab ipso determinata sunt, præfinito tempore fiunt, quemadmodum ipse in æternitate constituit. Imagines enim, & & exempla futurarum rerum, quas ipse facturus est, nihil sunt aliud, quàm cujusque notio, atque a S. Dionysio cap.1. de Div. nom. §. 8. præfinitiones nominantur. In ejus nanque consilio expressæ erant formæ, & imagines eorum, quæ, priusquam fierent, ab ipso præfinita erant, & immutabiliter futura.* Quæ imagines, cum in iis res futuræ habeant esse verum, Damasceni sententiâ, quia æternum, & immutabile; in se ipsis autem non verum, quia temporarium, atque mutabile; meritò dicantur futurorum veritas; futura autem ipsa illarum similitudo, atque imitatio.

12. Hactenus Græci Patres: eosdem sensus, atque easdem fore loquendi formas nobis ex Schola Zetetica repræsentant Latini. Ambrosius lib.5. de Fide c.1. *Heri, & hodie*, inquit, *ipse est, & in sæcula. Heri, propter æternitatem: hodie, propter corporis susceptionem. Est ergo Christus, & est semper. Qui enim est, semper est. Christus autem semper est, de quo dicit Moses: Qui est, misit me. Erat utique Gabriel, erat Raphael, erant Angeli, sed semper esse, qui aliquando non fuerint, nequaquam pari ratione dicuntur. In Christo autem* (sic legimus 2. Cor. 1.) *non fuit* EST, & NON: *sed* EST *in illo fuit: unde verè solius Dei est esse, qui semper est.* Eadem scribit epist. 10. l.1. *Dices, Qui est, misit me. Hoc est verum nomen Dei, esse semper. Unde & Apostolus de Christo.... non fuit in illo, inquit* EST, & NON, *sed* EST *in illo fuit.* Vide præterea, quibus explanat hunc ipsum Exodi locum lib.6. in Hexam. c.7. in Psal.43. ad ea verba. *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.* In Symb. Apost. c.7. l.10. Comm. in Evang. Lucæ c.22. Quod autem pertinet ad illud esse verum, seu veritatem, quam res habent omnes in Deo, in Comment. ep. ad Rom. c.11. ita loquutus. *Itaque, quia ex ipso,*

ipso, & per ipsum, & in ipso omnia ut essent, esse cæperunt; sensum, & consilium ejus scire non possunt. Ipse autem scit omnia, quia in ipso sunt cuncta. Et in ep. 2. ad Cor. c. 1. ad ea verba, *Quotquot enim promissiones Dei sunt, sunt in illo* EST, ita scribit: *Manifestum est, quia semper in Deo Veritas est.... cum ab illo omnia, & per illum, & in illo esse dicantur*. In Psalm. autem 38. ad ea verba, *In imagine pertransit homo; Primùm igitur*, inquit, *umbra præcessit, sequuta est imago, erit Veritas. Umbra in Lege, Imago in Evangelio, Veritas in Cælestibus. Quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum, umbra in diluvio, umbra in rubro mari, umbra in petra &c. Nonne illud in umbra erat &c. Nonne umbra &c. sed jam discessit umbra noctis, & caliginis Judæorum, dies appropinquavit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona.... sed nunc eum non videmus, tunc videbimus, cum Imago transierit, Veritas venerit: tunc jam non per speculum, sed facie ad faciem ea, quæ perfecta sunt, videbuntur. Ascende ergo homo in Cælum, & videbis illa, quorum umbra hic erat, vel imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione: non in velamine, sed in luce: videbis Verum &c.* Idem in ep. 1. ad Timoth. c. 1. *Quid est Veritas*, inquit, *nisi vita?* Hinc lib. 7. Comment. in Luc. c. 9. *Vivemus*, inquit, *quando jam non erimus in umbra, sed in ipsa vita*. Præclarè etiam Hieronymus epist. 136. *Deus solus*, inquit, *quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Hoc enim nomen ad sanctum Moysem per Angelum est delatum: quærenti enim &c. Qui est, misit me ad vos; tanquam in ejus comparatione, qui verè est, quia incommutabilis est, ea, quæ commutabilia facta sunt, quasi non sint. Quod enim dicitur, fuit, non est: & quod dicitur, erit, nondum est. Deus autem esse tantum novit: fuisse, & futurum esse non novit; Solus enim Pater cum Filio, & Spiritu sancto veraciter est: cui comparatum esse nostrum, non esse est*. Locus est alter illustris in eandem fere sententiam in 3. cap. epist. ad Ephes. *Loquitur in Exodo Dominus &c.* Illud verò intelligendum est de illo esse e empto, quo veriùs, quàm in se ipsis, sunt res omnes in Centro; quod

quod scripsit l.1. Com. in c.1. epist. ad Galat. *Deo scilicet futura jam facta esse*, quia in ipso jam sunt, secundùm primariam veritatem omnino tempori exemptam. Idem prorsus scribit l.1. Com. in ep. ad Eph. c.1. ad ea verba: *elegit nos in in ipso ante constitutionem mundi*: *Deo omnia futura jam facta sunt*. Verbum illud, *facta sunt*, eo fere modo accipi debet, quo verbum, *creata est*, Eccl. 1.4. ex iis explicatum, quæ sunt Prov. VIII. a num.23. Hinc illud, quod Hieronymus idem scripsit in Amos Comment. l.2. c.5. *Nos in hac præsenti vita veritatem imperfectè cognoscere, & per speculum, & imaginem ea, quæ ventura sunt contemplari*, quorum simile est, quod de Veritate scribit lib.2. in cap.4. epistol. ad Ephes.

13. Sed tum de Esse, tum de Veritate omnia multo clariùs, ac luculentiùs apud Augustinum. Hæc ille Confess. l.7. c.10. n.16. *Et dixi, nunquid nihil est Veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo: Immo verò, Ego sum, Qui sum. Et Et audivi, sicut auditur in corde, & non erat prorsus, unde dubitarem; faciliùsque dubitarem, vivere me, quàm non esse Veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt intellecta conspicitur*: Pergit cap.11. num.17. *Et inspexi cætera infra te, & vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt: non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet*. Lib.13. cap.31. n.46. res creatas dicit, *esse aliquo modo, quia ab illo sunt, qui non aliquo modo est, sed quod est, est*. Idem lib.1. de Mor. Eccl. Cath. c.14. n.24. *Deum*, inquit, *diligere debemus, Trinam quandam Unitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quod nihil aliud dicam esse, nisi id ipsum Esse: est enim verè &c.* Egregiè autem ad rem nostram lib.5. de Gen. ad lit. c.16. n.34. *Quamvis ergo illa æterna, incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se, ut sit, sicut Moysi dictum est, Ego sum, Qui sum; longè scilicet aliter, quàm sunt ista, quæ facta sunt: quoniam illud verè, ac primitus est, quod eodem modo semper est, nec solùm non commutatur, sed commutari omnino non potest: nihil horum, quæ fecit existens, & omnia*

E pri-

primitus habens, sicut ipse est. Neque enim ea faceret, nisi ea nosset, antequam faceret; nec nosset, nisi videret; nec videret, nisi haberet; nec haberet ea, quæ nondum facta erant, nisi, quemadmodum est ipse non factus. Apprime verò in Tract.38. super c.8. Evang. Johan. n.10. *O Domine Deus noster, quid est, quod aisti, Nisi credideritis, quia ego sum? Quid enim non est eorum, quæ fecisti? Nunquid Cælum non est? Nunquid terra non est? nunquid non sunt ea &c. Si omnia sunt hæc, quæ per te facta sunt, quid est, quod tibi proprium quiddam tenuisti ipsum Esse, quod aliis non dedisti, ut solus esses: Nam, quomodo audio, Ego sum, Qui sum: quasi alia non sint? Et quomodo audio, nisi credideritis, quia ego sum? Illi enim non erant, qui audiebant? Etsi peccatores erant, homines erant. Quid ergo facio? Quid sit ipsum Esse, dicat cordi, intus dicat, intus loquatur, homo interior audiat, mens capiat verè esse: est enim semper eodem modo esse. Res enim aliqua, qualibet omnino, prorsus qualicunque excellentia, si mutabilis est, non verè est: non enim est ibi verum esse, ubi est & non esse. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est, quod erat: si non est, quod erat, mors quædam ibi facta est &c.* Item enarrat. in Psalm.9. n.11. *Dominus dicit ad Moysem, Ego sum, Qui sum &c.* Nec non in Psalm.38. n.22. ad ea verba: *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam ab eam, & amplius non ero: Quid est*, inquit, *non ero? Si enim dives ille non erat, quis est, qui ardebat! quis est, qui &c. Quid est ergo, non ero, nisi respiciat iste Idithun, quid est esse, & non esse? Videbat enim illum finem &c. attendebat infra omnia, quæ sunt, in comparatione illius Esse, non esse: & se non esse, dicebat. Illa enim permanent, ista mutabilia sunt, mortalia, fragilia ... Respexit ergo beatam illam regionem, beatam patriam, beatam domum, ubi participes sunt Sancti vitæ sempiternæ, atque incommutabilis Veritatis: & timuit extra ire, ubi non esse ... Et quo ibo in æternum? ab illo, qui dixit, Ego sum, qui sum: ab illo, qui dixit, dic filiis Israel, Qui est misit me ad vos. Ab eo ergo, Qui verè est, qui in contrarium pergit, ad non esse pergit.* Itidem in Psalm.101. Serm.2.n.10. *Ille*, inquit, *indicans se creaturæ Creatorem, Deum homini,* Immor-

Immortalem mortali, Æternum temporali: *Ego, inquit, ſum, Qui ſum. Tu diceres, Ego ſum. Quis? &c. Quis? Qui ſum. Hoc eſt nomen tuum, hoc eſt totum, quod vocaris? eſset tibi nomen,* IPSUM ESSE, *niſi quidquid eſt aliud, tibi comparatum, inveniretur non eſse verè? Hoc eſt nomen tuum: exprime hoc idem melius. Vade, inquit, & dic filiis Iſrael. Qui eſt, miſit me ad vos. Ego ſum, Qui ſum: Qui eſt miſit me ad vos. Magnum ecce* EST, *magnum* EST. *Ad hoc homo quid eſt? Ad illud tam magnum* EST, *homo quid eſt, quidquid eſt? &c.* Nec ſecus in Pſal. 134. *n.* 4. *Bonum bona faciens, ſicuti eſt propriè, ſic & bonum eſt propriè. Neque enim ea, quæ fecit, non ſunt... Quare enim fecit, ſi non ſunt, quæ fecit? Aut quid fecit, ſi non eſt, quod fecit? Cum ergo ſint & illa, quæ fecit, venitur tamen ad illius comparationem: &, tanquam ſolus ſit, dixit, Ego ſum, Qui ſum &c. Non dixit Dominus Deus ille omnipotens, miſericors, juſtus: quæ ſi diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari poſset, & dici Deus,* IPSUM ESSE *ſe vocari reſpondit... Ita enim ille eſt, ut in ejus comparatione ea, quæ facta ſunt, non ſint. Illi non comparata, ſunt; quoniam ab illo ſunt: Illi autem comparata, non ſunt; quia verum eſſe, incommutabile eſse eſt, quod Ille ſolus eſt: eſt enim* EST: *ſicut bonorum bonum, Bonum eſt*. At enim obiiciet hic mihi fortaſſe aliquis: Auguſtinus, & Patres reliqui, res creatas non eſſe, tunc ſolùm dicunt, quando cum Deo, qui ſolus verè eſt, illas conferunt: ſunt igitur *abſolutè*, & *ſimpliciter*: & ſolùm *reſpectivè* non ſunt. Egomet verò ex Schola Zetetica non id pugno, & contendo, res a Deo conditas *abſolutè*, & *ſimpliciter* nihil eſſe: iis adimo tantùm *Eſſe verum*, *Eſſe ſyncerum*, *Eſse germanum*: quo Eſſe, Auguſtini, & Patrum reliquorum ſententiâ, caret id omne, quod eſt mutationi alicui, ac viciſſitudini obnoxium. Eſto Chriſtiani, Ebræique Zetetæ, res creatas non eſſe, tunc ſolùm pronuntient, cum ſpectant in Deum. Nempe id ipſum efficit, quod initiò poſitum eſt; Deum, ipſorum ſententiâ, quacunque ratione comparetur cum rebus creatis, ad eas ita ſe habere, uti verum ad falſum: uti homo, aut res alia quæpiam ad ſuum ſimulacrum, atque umbram. Quibus enim eſſe denegant,

gant, ubi ſermo incidit de eſſe neceſſario, ſingulari, æterno, immutabili, quod ipſi verum eſſe nuncupant; iis, cum non omne prorſus eſſe auferant, proculdubio eſſe falſum attribuunt. Quod autem iidem ſæpenumero de rebus creatis perinde loquantur, ac ſi verè eſſent; & tunc ſolùm, quando eas componunt cum Deo, apponant particulas aliquas, quæ illas, imitamenta, adumbrationes, ſimilitudines quaſdam veri eſſe ſignificent; id oppidò mirum, ac novum non eſt: ſic enim loqui conſuevimus, cum ſola rerum ſimulacra, atque imagines & habemus ante oculos, & animo cogitamus. En, hic canis, ille lepus; quàm feri, quàm truces hi milites! quàm cruenta illa pugna! quàm hi ſcopuli immanes, & abrupti! amœna, atque explicata illa planities! Nec verò quidquam addimus, quod horum aliquid pictum, fictumve ſignificet, niſi quando ad rem ipſam, quæ ibi exprimitur, obtutum, cogitationemque convertimus. Immo non ſolùm aliter loqui non ſolemus, ſed nec poſsumus: Pictum quippe, & Fictum: Imago, Simulacrum, Umbra, notiones ſunt *χτικαὶ relativæ*, quæ utique haberi non poſsunt, niſi ſimul in eum terminum, quo iſta referuntur, animum intendamus. Quare, ſtultum eſt, & planè ridiculum, aliquid, quod adumbratum, fictumque eſt, idcirco verum habere, ac dicere; quia falſitatis non arguitur, nec adumbratum, fictumque dicitur a ſapientibus, niſi comparatum cum vero. Quaſi falſum ſit, & dicatur aliquid non ea ſolùm ratione, qua deficit a vero: aut is defectus deprehendi queat, ubi reſpectus non ſit ullus ad id ipſum, quod deeſt. Sed ad Auguſtinum revertamur, qui, ut res creatas *veſtigia, atque umbras dicit ipſius Veritatis* l. 2. de lib. arb. c. 16. n. 43. ſic in Enarrationibus ſuis, quas modo percurrebamus, hæc habet ad Pſalm. 143. n. 11. *Homo vanitati ſimilis &c. Cui vanitati? Temporibus prœterlabentibus, & præterfluentibus. Vanitas enim iſta dicitur in comparatione ſemper manentis, & nunquam deficientis Veritatis . . . omnia terrena, volatica, tranſitoria, ſi comparentur illi Veritati. Ubi dictum eſt, Ego ſum, Qui ſum: totum hoc, quod tranſit, vanitas dicitur*. Idem ſerm. 6. de eo quod apparuit Dominus Moyſi in rub. c. 3. n. 4. *Quid eſt*

est hoc? inquit: *o Deus, o Domine noster, quid vocaris? Est vocor, dixit. Quid est, Est vocor.? Quia maneo in æternum, quia mutari non possum. Ea enim, quæ mutantur, non sunt &c.* Tum Serm.7. n.7. *Esse, nomen est incommutabilitatis &c. Esse verum, Esse syncerum, Esse germanum, non habet, nisi qui non mutatur &c.* Et appositè quidem ad rem præsentem Serm.52. c.6. n.17. *In te quære, ne fortè imago Trinitatis habeat aliquod vestigium Trinitatis. Et quæ? Imago facta longè distans, non quomodo imago Filius hoc, quod Pater*: hoc est intra rationem veri esse. *Aliter enim imago in Filio, aliter in speculo. Multum distat. In filio imago tua, tu ipse es. Hoc est enim filius, quod tu, naturâ. Substantiâ hoc, quod tu. Personâ alius, quàm tu. Non ergo homo imago, tanquam ungenitus Filius, sed ad imaginem quamdam, & quamdam similitudinem factus* extra rationem esse veri. Nam, ut idem addit l. 8. de Civit. c.11. *in ejus comparatione, qui verè est, quia incommutabilis est, ea, quæ mutabilia facta sunt, non sunt.* Et rursus l. 7. de Trinit. c.5.n.10. *Deus est verè solus;* Et tandem apud ipsum, ex ejusque disciplina Auctor Hypognost. l.1. c.4. *Quidquid Deum fecisse dicimus, habet essentiam, idest, species est. Essentia enim dicitur ab eo, quod est, quæ tantùm de solo Deo dici debet: secundùm illud, quod scriptum est in Exodo Moysi, dices eis, idest, populo; Qui est, misit me ad vos.* Itemque apud ipsum Augustinum, ex ejus itidem mente, Author libri de Cognit. veræ vitæ cap.7. *Hic solus verè est; & ideo Veritas est. Omne enim, quod est, verum est; quod verò non est, falsum est: sed Deus verè est: igitur Veritas est. Creatura autem ei collata, quasi non est: & idcirco quasi falsitas ad veritatem est.* Ac de Ente quidem, seu de Esse, ut unicum sit, utque extra se ipsum in iis omnibus, quæ ipsum participant, non sit, nisi adumbratione, & similitudine, hoc est, non sit Esse verum; satis ex Augustino dictum puto: sequitur, ut de altera Dei notione, si tamen altera est, de Veritate scilicèt ex eodem S.Doctore aliqua dicamus.

14. Ante tamen ea sunt afferenda, quibus declarat illud esse exemptum, abstractum, æternum, immobile, seu, quod idem est, illud esse verum, quod in Centro, atque Unita-

te,

te, habent omnes lineæ, ac numeri, ideſt, res omnes creatæ: ut in aperto ſit, quid ſignificent Zeteticæ illæ Dei notiones; Totum extra Totum: Veritas ſeparata: Veritas ipſa: quod Author etiam libri de Cogn. ver. vit. loco cit. diſertè docet. Auguſtinus igitur Confeſ. l.1. c.6.n.10. *Summus enim es*, ait de Deo, *& non mutaris: neque peragitur in te hodiernus dies,& tamen in te peragitur: quia in te ſunt & iſta omnia... Tu autem idem ipſe es: & omnia craſtina, atque ultra, omniaque externa, & retro, hodie facies, hodie feciſti*. lib.13. c.38. n.53. *Nos itaque iſta, quæ feciſti videmus, quia ſunt. Tu autem, quia vides ea, ſunt. Et nos foris videmus, quia ſunt; & intus, quia bona ſunt: tu autem ibi vidiſsi facta, ubi vidiſti facienda*. Item lib.2. de Ordine c.19. n.51. ab iis verbis; *Dei pulchritudinem, cujus imitatione &c.* & lib.de vera relig. c.31. n.57. *Nec jam illud ambigendum eſt &c.* Similiter lib.4. de Gen. ad lit.c.6.n.12. *Cum ergo hæc ita diſponerentur &c.* Nempe eſse illud, quod res habent in mente Divina, cum ſit eſſe verum, non eſt rerum imago, ſed Veritas ipſa: cum quo ſi comparetur illud eſse, quod res eædem habent in ſemetipſis; id enimvero rationem habet imaginis, atque umbræ, cum ſit eſse falſum. Quod contra contingit in nobis, quorum cognitio, imago quædam eſt rei cognitæ: quæque nobis in phantaſia, & in mente rerum ſpecies inſident, ſimulacra ſunt, non veritas rerum ipſarum. Sed hac de re copioſiùs, & clariùs agemus infra. Redeo ad Auguſtinum: qui quæ ſcripſit l.5. de Gen.ad lit. a cap.12. ad 20. nobis univerſa militant: ea præcipuè: *Si noverat ea, priuſquam faceret ea, profectò, priuſquam fierent, apud illum erant eo modo nota, quo ſempiternè, atque incommutabiliter vivunt, & vita ſunt: facta autem eo modo, quo unaquæque creatura in genere ſuo eſt. Quamvis ergo illa æterna, incommutabiliſque natura, quod Deus eſt, habens in ſe, ut ſit, ſicut Moyſi dictum eſt, Ego ſum, Qui ſum; longè ſcilicet aliter, quàm ſunt iſta, quæ facta ſunt: quoniam illud verè, ac primitus eſt, quod eodem modo ſemper eſt, nec ſolùm non commutatur, ſed commutari omnino non poteſt: nihil horum, quæ fecit exiſtens, & omnia primitus habens, ſicut ipſe eſt. Neque enim ea faceret, niſi ea noſset, antequam faceret,*

ceret, nec nosset, nisi videret; nec videret, nisi haberet, nec haberet ea, quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus. In hanc ipsam planè sententiam est, quod scripsit tract. 1. in Johan. c. 1. ad ea verba: *Quod factum est in illo, vita est*: ita enim legit Augustinus: vide integros num. 16. 17. 18. tum etiam Tractatus tertii num. 4. In Tract. autem 37. super cap. Johan. 8. n. 8. illud addit: *apud Dei Verbum erant omnia, quæ condita sunt: quia omnia in sapientia fecit Deus, & cuncta nota fecit: non enim, quia fecit, didicit; sed, quia noverat, fecit. Nobis, quia facta sunt, nota sunt: Illi, nisi nota essent, facta non essent.* Quid quod habet Tract. 68. in c. 14. n. 1. *Quomodo ergo*, inquit, *mansiones in domo Patris non aliæ, sed ipsæ, & sine dubio jam sunt, sicut parandæ non sunt; & nondum sunt, sicut parandæ sunt? Quomodo putamus, nisi quomodo etiam Propheta prædicat Deum, quia fecit quæ futura sunt?* (Isa. 45. 11. sec. LXX.) *Non enim ait, Qui facturus est, quæ futura sunt: sed, Qui fecit quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si non ipse fecit; neque futura sunt, si ipse non fecerit, fecit ergo ea prædestinando, facturus est operando. Sicut discipulos, quando elegerit, satis indicat Evangelium, tunc utique, quando eos vocavit: & tamen ait Apostolus, elegit ante mundi constitutionem: prædestinando utique, non vocando &c.* Scilicet esse illud verum, atque exemptum, quod habent res omnes in Deo, ipsum est, Zetetarum sententiâ, scientia illa, qua Deus res ipsas ab omni æternitate cognovit: ipsum, voluntas, qua de ipsis, itidem ex æterno decrevit. Verum hæc infra melius explicabimus: Prop. 7. & 8. nunc, quod ibi usui erit, ex Augustino eodem illud etiam producendum, quod scripsit Enarat. in Psalm. 49. n. 18. hisce verbis: *Jam certè noverat quod crearat, &, antequam crearet, noverat. Tanta est ergo notitia Dei, ut apud ipsum essent quodam ineffabili modo, antequam creata essent: & a te expectat, ut accipiat, quod, antequam crearet, habebat .... ego cognovi omnia: non quia feci cognovi, sed, ut facerem.* Item quod in Psalm. 105. n. 35. *apud Deum quidem disposita, & fixa sunt omnia, nec aliud facit, quasi consilio repentino, quod non ex æternitate se facturum esse præscivit: sed in creaturæ temporalibus*

bus motibus, quam gubernat mirabiliter, ipse non temporaliter motus, quasi repentina voluntate facere dicitur, quod, ordinatis rerum causis, consilii sui secretissimi immutabilitate disposuit, qua suis quæque temporibus agnita, & præsentia facit, & futura jam fecit. Hoc esse rerum omnium exemptum in Unitate, & in Centro significare fortasse voluit, cum scripsit Serm. 158. c. 9. n. 9. *Si hoc est fides, quid erit species? Audi, quid erit: ut sit Deus omnia in omnibus*. Tum certè, cum l. 10. de Civit. c. 12. scripsit: *ubi verò, & quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est, in cujus dispositione jam tempora facta sunt, quæcunque futura sunt. Nam temporalia movens, temporaliter non movetur: nec aliter novit facienda, quàm facta: nec aliter invocantes exaudit, quàm invocaturos videt*. & lib. XI. c. 21. quod hæc habet: *Deus autem usque adeo non, cum factum est, tunc didicit bonum; ut nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum. Dum ergo &c. non quod ullo modo Dei scientia varietur, ut aliud in ea fiant, quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit; sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longè, latèque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt; ita ut illa quidem, quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia jam sint, & præterita jam non sint, ipse verò hæc omnia stabili, ac sempiterna præsentia comprehendat... Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quæ novit. Quoniam tempora ita novit nullis suis temporalibus notionibus; quemadmodum temporalia movet nullis suis temporalibus motibus. Ibi ergo vidit bonum esse, quod fecit, ubi bonum esse vidit, ut faceret. Nec quia factum vidit, scientiam duplicavit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris scientiæ fuerit, priusquam faceret quod videret: qui tam perfectè non operaretur, nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex ejus operibus adderetur*. Quibus omnibus probatur, res a Deo in loco, & tempore effectas habere, extra locum, & tempus, illud esse in Deo, quo tanquam veritate primaria, & abstracta, verum sit quidquid de unaquaque

verè

verè affirmatur: iis rationibus quidem exceptis, quibus ab Esse deficiunt, sed hæc, ut jam recepi, clariùs infra explicabo. Prop.7. & 8. Nunc tantùm, ut modo quodam exempto, sed longè veriùs, quàm in se ipsis, sint res omnes in ipso Esse, & Veritate. Quo illud etiam pertinet, quod est lib.13. c.16. *Quomodo autem promisit, cum hominibus utique promiserit, qui nondum erant ante tempora æterna; nisi, quia in ipsius æternitate, atque in ipso ejus Verbo eidem coæterno, jam prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat*. & quod lib.15. c.25. *Cogitatio Dei, & recogitatio, mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim, sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia*. & lib.6. de Trin. c.10. 11. & 12. *Primus, ac summus intellectus, cui non est aliud intelligere, sed id, quod est intelligere; hoc vivere, hoc esse est, unum omnia ... & ideo, cum decedant, & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei. Non enim hæc, quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt: ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter a Deo sciuntur*. Scilicet illud esse, quod res omnes habent in mente divina, rationem habet, non imaginis, sed veritatis: veritatis,inquam,exemptæ ab omnibus veris,quaque una vera sint omnia, quæ verè dicuntur: itaque l.15. c.13.n.22. *Habet*, inquit, *nuntios Deus, idest, Angelos, non tamen qui ei, quæ nescit, annuntient: non enim sunt ulla, quæ nesciat: sed bonum eorum est de operibus suis ejus consulere veritatem... in ejus veritate invenientes, quid sibi faciendum, quid, quibus, & quando nuntiandum sit &c. Universas autem creaturas suas, & spiritales, & corporales, non quia sunt ideo novit; sed ideo sunt quia novit. Non enim nescivit, quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata, quàm creanda &c.* Eo scilicet omnia spectant, ut intelligamus, esse res omnes in Deo, & illud esse, quod habent in Deo, non esse ipsarum imaginem, sed veritatem.

15. Jam tandem igitur ex Augustino illustrandum,quod interrogantibus, ecquid nam sit ipsum Esse in se ipso; re-

spondebant autiqui Zetetæ: nimirum, *Veritas ipsa*. Cujus simillimæ sunt illæ Dei notiones in ipsorum Schola pervulgatissimæ: Veritas extra omnia vera: Unitas, Centrum Veri totius. Sic autem S. Doctor Conf. l. 1. c. 10. n. 16. *Vidi qualicunque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucem incommutabilem . . . Qui novit Veritatem, novit eam, novit æternitatem &c. O æterna Veritas . . . Tu es Deus meus . . . Nunquid nihil est Veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo: Immo verò, Ego sum, Qui sum &c. Et respexi alia, & vidi tibi debere, quia sunt, & in te cuncta infinita finita: sed aliter, non quasi in loco, sed quia tu es omnitenens manu Veritate: & omnia vera sunt, inquantum sunt: nec quidquam est falsitas, nisi, cum putatur esse, quod non est*. Sic res creatæ, inquantum quidem sunt in Deo, qui *solus est*, Job. loc. cit. verè sunt; in se ipsis autem, quòd imitatio quædam, non veritas sunt Esse ipsius; propterea falsitas sunt: quod ait Auctor lib. de cogn. veræ vitæ proximè cit. *Deus solus verè est, & ideo Veritas est: Creatura autem ei collata, quasi falsitas ad Veritatem*. Pergit autem Augustinus c. 17. n. 23. *Hoc ergo quærens unde judicarem, cum ita judicarem, inveneram incommutabilem, & veram Veritatis æternitatem supra mentem meam commutabilem*. Præterea lib. 10. c. 23. n. 33. *Beata quippe vita*, inquit, *est gaudium de Veritate: hoc est enim gaudium de te, qui Veritas es . . . beata vita non est aliud, quàm de Veritate gaudium . . . beatus ergo erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa, per quam vera sunt omnia, sola Veritate gaudebit . . . Ubi enim inveni Veritatem, ibi inveni Deum meum, ipsam Veritatem . . . Ubi ergo inveni te, ut discerem te, nisi in te supra me? Et nusquam locus, & recedimus, & accedimus, & nusquam locus. Ubique Veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus*. Item cap. 41. num. 66. *Tu es Veritas super omnia præsidens: at ego volui tecum possidere mendacium* lib. 12. cap. 7. num. 7. *Itaque tu, Domine, Qui non es alibi aliud, & aliàs aliter, sed idipsum, & idipsum, & idipsum . . . O Veritas, lumen cordis mei &c.* & cap. 25. n. 34. *Quisquis id, quod tu omnibus ad fruendum*

dum proponis, sibi propriè vindicas, & suum vult esse, quod omnium est, a communi propellitur ad sua, hoc est, a Veritate ad mendacium.... Attende, Judex optime, ipsa Veritas.....
Si ambo (fratrem alloquitur, nam hìc ita vocat adversarium) *videmus verum esse, quod dicis, & ambo videmus verum esse, quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili Veritate.* Lib.1. de Ord. c.8. n.23. *Quid aliud est Dei facies, quàm ipsa, cui suspiramus, & cui nos amatæ mundos, pulchrosque reddimus, Veritas?* Soliloq. lib.1. c.1. n.3. *Te invoco, Deus, Veritas, in quo, & a quo, & per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia.* Lib. de Immort. anim. c.11. n.18. *Tunc est animus sapientissimus, cum Veritatem, quæ semper eodem modo est, intuetur &c.* Tum c.19. n.19. *At si Veritati &c.*, & lib.2. de lib. arb. c.12. n.33. *Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem Veritatem, hæc omnia, quæ incommutabiliter vera sunt continentem, quam &c.* Describit hìc Veritatis separatæ, atque, ut Schola loquitur, per se subsistentis naturam. Post multa verò, quæ nobis omnia apprimè favent, ac Zeteticam sententiam explicant, ita concludit c.15. n.39. *Tu autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse monstrarem, Deum te esse confessurum, si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiens dixeram satis esse, ut hoc demonstrarem. Si enim aliquid est Veritate excellentius, ille potius Deus est: si autem non est, jam ipsa Veritas Deus est.* Idem l.1. de morib. Eccl. c.13. n.22. *Veritas*, inquit, *converti, atque aliter, quàm semper est, sese habere non novit &c.* Idem lib. de vera Relig. c.31. n.57. *Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse: & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis Veritas &c.* Scientia Dei, Zetetarum sententiâ, non imago rerum, sed ipsa veritas est: Esse enim, sicut extra se ipsum non est, nisi adumbratione, & similitudine; sic è contrario in se ipso non est nisi re, & veritate. Quocirca tam nihil Divinum collatum cum aliquo creato potest habere rationem imaginis, quam nihil crea-

tum, collatum cum aliquo Divino, poteſt habere rationem veritatis. Hæc, Schola Zetetica: quæ quidem de omnibus prorſus rebus hæc intelligi vult, excepto malo, ut malum eſt: id enim, ut tale, ab Eſſe excidit, & Veritate: quomodo autem cognoſcatur a Deo, eadem ex Schola, infra explicabitur Prop.7. Sic Auguſtinus de Verbo æterno, cui nomen tribuit Veritatis, ut Scholæ loquuntur, *notionaliter* intellectæ; in eodem lib. c.*36*. n.*66*. ita ſcriptum reliquit. *Sed cui ſaltem illud manifeſtum eſt, falſitatem eſſe, qua id putatur eſſe, quod non eſt, intelligit eam eſſe veritatem, quæ oſtendit id quod eſt. At ſi corpora intantum fallunt, inquantum non implent illud unum, quod convincuntur imitari, a quo Principio unum eſt quidquid eſt, ad cujus ſimilitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus quidquid ab unitate diſcedit, atque in ejus diſſimilitudinem tendit: datur intelligi eſſe aliquid, quod illius unius ſolius, a quo Principio unum eſt, quidquid aliquo modo unum eſt, ita ſimile ſit, ut hoc omnino impleat, ac ſit id ipſum: & hæc eſt Veritas, & Verbum in principio, & Verbum Deus apud Deum. Si enim falſitas ex iis eſt, quæ imitantur unum, non inquantum id imitantur, ſed inquantum implere non poſſunt* (hoc eſt a ratione veri eſſe deficiunt;) *illa eſt Veritas, quæ id implere potuit, & id eſſe, quod eſt illud*: cui nempe ipſum Eſſe communicatur intra rationem eſſe veri. *Quapropter vera quoniam in tantum vera ſunt, in quantum ſunt*; Sunt autem propriè dumtaxat in Deo, qui ſolus eſt, quippe eſt, Qui eſt: *ea forma eſt omnium, quæ ſunt, quæ eſt ſumma ſimilitudo Principii: & Veritas eſt, quia ſine ulla diſſimilitudine eſt*. Perfecta ſimilitudo Auguſtino naturæ identitas eſt: quare cum omnia creata ſint extra rationem veri eſſe; nihil eorum poteſt perfectè referre illud eſſe exemptum, quod habet in Deo: atque ita creata omnia in ſe quidem ipſis falſitas, in Deo autem Veritas ſunt. Iterum verò Auguſtinus cap.43. n.81. *Summè unus eſt*, inquit, *Pater Veritatis, Pater ſuæ Sapientiæ, quæ nulla ex parte diſſimilis, ſimilitudo ejus dicta eſt, & imago, quia de ipſo eſt. Itaque etiam Filius rectè dicitur ex ipſo, cætera per ipſum. Præceſſit enim forma omnium ſummè*
im-

implens unum, de quo est, ut cætera, quæ sunt, in quantum sunt uni similia, per eam formam fierent. De Veritate ipsâ non *notionaliter*, sed, *essentialiter* loquutus in Epist. 118. ad Dioscor. c, 3. n. 19. ubi Platonicos dilaudat, quòd dicerent, *non solùm esse aliquid, quod neque tactu corporis, neque olfactu, vel gustatu, neque his auribus, aut oculis percipi possit, neque omnino talium rerum, quæ ita sentirentur, aliqua imaginatione cogitari; sed id solum verè esse, atque id solum posse percipi, quia incommutabile, & sempiternum est; percipi autem solâ intelligentia, quâ unâ Veritas, quomodo attingi potest, attingitur*, ac præterea, quòd *in hac, eodem modo semper se habente, Veritate, & finem boni, & caussas rerum constituerent.* Idem l. 4. de Gen. ad lit. a cap. 24. n. 41. ita scribit: *Sancti Angeli universam creaturam referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili Veritate rationes, secundùm quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo, tanquam per diem, unde & concordissima unitas eorum, ejusdem Veritatis participatione dies est primitus creatus; hic autem* (hoc est, ubi agnoscunt creaturam in ipsamet creatura) *tanquam per vesperam*: per umbram scilicet, non per Veritatem. *Nec ideo tamen*, subjungit Augustinus, *istam terrenam conditionem, lucisque corporeæ temporalem, localemque circuitum illi patriæ spiritali coæquare debemus, ubi semper est dies in contemplatione incommutabilis Veritatis, semper vespera in cognitione in se ipsa creaturæ &c.* Lege integrum caput, ubi multa de incommutabili Veritate, cùm *essentialia*, ut ajunt, tum *notionalia*. Lib. autem 8. c. 24. n. 45. ait: *Sanctos Angelos videre incommutabilem Veritatem, & secundùm eam suas dirigere voluntates*: addit verò cap. 27. n. 50. Deum: *Loquutionem suam mentibus Angelicis per suam præbere substantiam, in qua nempe rerum omnium incommutabilis Veritas.* Luculentissimè in rem nostram Tract. 38. in cap. 8. Evang. Johan. a num. 10. *O Veritas, quæ verè es! Nam in omnibus actionibus, & motibus nostris, & in omni prorsus agitatione creaturæ duo tempora invenio, præteritum, & futurum. Præsens quæro, nihil stat: quod dixi, jam non est; quod dicturus sum, nondum est: quod vixi jam non est; quod victurus sum, nondum est. Præteritum, & Fu-*

& *Futurum invenio in omni motu rerum: in Veritate, quæ manet, Præteritum, & Futurum non invenio, sed solum Præsens, & hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Discute rerum mutationes, invenies Fuit, & Erit: cogita Deum, invenies* EST, *ubi Fuit, & Erit esse non possit. Ut ergo & tu sis, transcende tempus, sed quis transcendet viribus suis? &c.* Tum deinde Judæos, ut est Johan. VIII. 25. ex Christo Domino sciscitantes inducit, *Tu quis es? Non enim*, scribit Augustinus, *cum dixisti, Nisi credideritis, quia ego sum; addidisti, quid esses. Quis es, ut credamus? & ille; Principium. Ecce quod est Esse. Principium mutari non potest: principium in se manet, & innovat omnia, principium est, cui dictum est. Tu autem idem ipse es &c.* Probat denique Christum Dominum eo Principii nomine usum, ut ostenderet, se esse Veritatem: *respondisse, Principium; velut si vellet dicere, se esse Veritatem: & dicentibus, Tu quis es, responderet, Veritatem: cum videatur ad id, quod dictum est, Tu quis es, respondere debuisse; Veritas, idest, Veritas sum.* Sed progrediamur ad alia Augustini opera, & nihil eorum, quæ quidem illustrius ab ipso in hanc rem dicta sunt, in præteritis relinquamus. Ennar. 2. in Psalm. 33. n. 6. *Videbimus illam facie ad faciem, & nemo zelabit. Omnibus se exhibet, & integra est, & casta est omnibus. Illi mutantur in eam, & ipsa in eos non mutatur. Ipsa est Veritas, ipsa est Deus. Nunquid aliquando audistis Fratres, quod potuerit commutari Deus noster? Supereminens omnibus Veritas est.* In Psalm. 78. n. 1. *Angeli, quæ hominibus nuntiant, nescientibus nuntiant: quæ autem Deo nuntiant, scienti nuntiant, quando illi offerunt orationes nostras, & ineffabili modo de actibus suis æternam Veritatem, tanquam legem incommutabilem consulunt.* Serm. 12. in Psalm. 118. n. 1. *A contrario differunt inter se Vanitas, & Veritas... Omnis Creatura vanitati subjecta est, quæ intelligitur esse in homine, &, Omnia Vanitas.... sed Christus, qui ex hoc mundo liberat, Veritas.* Totum Vanitatis, Totum Veritatis: Totum lucis, Totum umbræ: Totum ex Toto, Totum exemptum a Toto, sive extra Totum. Similiter in Psalm. 143. n. 11. *Homo Vanitati similis factus est &c. Sola Veritas facit bea-*

beatos, ex qua vera sunt omnia: nam omnia Vanitas, & tanquam umbra, scribit in Psalm.4. n.3. & in Psalm.134. n.5. *Quid suavius pane Angelorum? Panem Angelorum manducavit homo. Non enim aliunde vivit homo, aliunde vivit Angelus: Ipsa est Veritas ..... Est enim, & verè est, & eo ipso, quòd verè est, sine initio, & sine termino est.* Serm.142. c.1. num.1. *Veritatem, & vitam omnis homo cupit .... Deum esse quamdam vitam aeternam, immutabilem, intelligibilem &c. Veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem &c.* Serm.363. c.29. n.30. *Hæc igitur vita Sanctorum .... ut ab illa beatissima contemplatione, & laude Veritatis nulla corruptio necessitatis avertat, aut avocet. Ita illis cibus erit ipsa Veritas.* Lib.1. de div. Quæst.83. ad Simpl. q.1. *Omne verum a Veritate verum est .... est autem Veritas Deus.* Q.4. *per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ ubique præsens Veritas loquitur.* Idem repetit in lib. de 8. Dulcit. Quæst. q.6. n.2. hic autem q,6. *Quomodo Deus hæc agat ubique totus, ac semper præsens, & quomodo ejus simplicem, & incommutabilem, æternamque Veritatem consulant sancti Angeli ..... etiam lapsi Spiritus, qui in Veritate non steterunt, non valentes præsentem intrinsecus contueri, & consulere Veritatem, signa forinsecus per creaturam expectant &c.* Enchirid. de Fid. &c. c.17. n.5. *Absit, ut talis sit illa vita, ubi est animæ nostræ ipsa Veritas vita &c.* Lib.5. de Civit. c.16. *Illa Civitas sempiterna est ..... ibi non erit magna industria, ditare ærarium publicum privatis rebus angustis, ubi thesaurus communis est Veritatis.* Lib.11. cap.29. *Illi quippe Angeli sancti, non per verba sonantia, Deum discunt, sed per ipsam præsentiam immutabilis Veritatis .... Ipsam quoque Creaturam melius ibi, quam in ea ipsa sciunt: ac per hoc & se ipsos ibi melius, quàm in se ipsis: veruntamen & in se ipsis. Facti sunt enim, & aliud sunt, quam ille, qui fecit: ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in se ipsis autem, tanquam in vespertina.* Lib.16. c.6. *Angelis potius convenit venire ad Deum motibus sanctis, hoc est, cogitationibus piis, quibus ab eis consulitur incommutabilis Veritas, tanquam lex æterna in illa eorum curia superna. Neque enim sibi ipsis sunt Veritas, sed creatricis participes Veritatis .... Nec sic loquitur Angelis Deus,*

Deus, quomodo nos invicem nobis, vel Deo, vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, sive per illos Deus nobis: sed ineffabili suo modo, nobis autem hoc indicatur nostro modo. Dei quippe sublimior ante suum factum locutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem, atque transeuntem, sed vim sempiternè manentem, & temporaliter operantem. Hac loquitur Angelis sanctis .... Aut enim Veritas incommutabilis per se ipsam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus; aut per mutabilem creaturam loquitur, sive spiritualibus imaginibus nostro spiritui, sive corporalibus vocibus corporis sensui. Lib.8. de Trinit, c.1. n.2. *Dicimus enim, non esse in hac Trinitate majus aliquid duas, aut tres Personas, quàm unam earum, quod non capit consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera, quæ creata sunt, sentit, ut potest: Veritatem autem ipsam, qua creata sunt, non potest intueri .... In substantia quippe Veritatis, quoniam sola verè est, non est major aliqua, nisi, quæ veriùs est. Quidquid autem intelligibile, & incommutabile est, non aliud alio verius est, quia æquè incommutabiliter æternum est: nec quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum est, quàm eo, quo verè est.* (unus enim ex caracteribus veri esse simplicitas est, ut supra notavimus) *Quapropter, ubi magnitudo ipsa Veritas est, quidquid plus habet magnitudinis, necesse est, ut plus habeat Veritatis .... Non autem verius est Pater, & Filius simul; quàm singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul, quam singulum eorum. .. Sic & ipsa Trinitas tam magnum est, quàm unaquæque ibi Persona. Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi est ipsa Veritas magnitudo. Quia in essentia Veritatis hoc est verum esse, quod est esse: & hoc est esse, quod est magnum esse; hoc est ergo magnum esse, quod verum esse. Quod igitur ibi æquè verum est, etiam æquè magnum sit necesse est .... Deus Veritas est: hoc enim scriptum est 1. Johan. 1. 5. Quoniam Deus lux est: non quomodo isti oculi vident, sed quomodo videt cor, cum audis, Veritas est. Noli quærere quid sit Veritas, statim enim se opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem, Veritas. Ecce in ipso primo ictu, quo velut*

lut coruscatione, perstringeris, cum dicitur Veritas, mane si potes &c. En hoc illud est, quod ex vetustioris etiam Scholæ Zeteticæ disciplina diximus §. 4. n. 3. in ipsa Veritatis notione acquiescendum, atque insistendum: nec fas esse ultra progredi. Deus est, Esse in se ipso, hoc autem in se ipso Veritas est; Deus igitur Veritas est. Contra verò, cum Creaturæ sint, Esse extra se ipsum, hoc est, externæ quædam participationes, & communicationes ipsius Esse; neque hoc extra se ipsum sese participet, atque communicet, nisi extra rationem esse veri; sequitur, ut Creaturæ Deo collatæ falsitas sint: nimirum ipsius Esse veri imitatio, umbra, vestigium: uti fusè descriptæ sunt hic ex Augustino, ac describi deinceps possunt ex reliquis Patribus: quorum omnium ille communis est sensus: Solum Deum verè esse; cumque in illo sint omnia, esse Deum, omnium veritatem. Sic Augustinus idem de iis agens, quæ jam præterita sunt l. 26. cont. Faustum Manich. c. 5. ita scribit: *Non ergo est, quod verè dicimus fuisse: sed ideo verum est, illud fuisse, quod in nostra sententia verum est, non in ea re, quæ jam non est. Sententia quippe, qua dicimus, aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius Veritati. Quòd si quæras, ubi sit hæc vera sententia; prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus, & dicimus. Sed, si & de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus, obliti fuerimus; manet in ipsa Veritate. Semper enim verum erit, fuisse illud, quod erat, & non est: & ibi verum erit jam fuisse, quod erat, ubi verum erat, antequam fieret, futurum esse, quod non erat.* Ex hoc loco præcipuè sumpsisse videtur Anselmus, quæ de Veritate argutè disputat in Monol. & in Dialog. de Verit. Sed, ante ipsum alius audiendus Latinæ Ecclesiæ Doctor.

16. Gregorius Mag. lib. 16. in cap. 23. Job cap. 37. n. 45. *Ego sum, Qui sum &c. cum itaque flagellamur per ea, quæ videmus, illum debemus sollicitè metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quidquid exteriùs terret, quidquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet: & men-*

mentis oculo, suppressis omnibus, intueatur unum, in cujus essentiæ comparatione, esse nostrum, non esse est, & dicat: Ipse enim solus est. Lib.18. in cap.28. Job c.50. n.82. *Esse enim se aliquid fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est minimè sensisset. At verò, ubi ad incommutabilem contemplandum super se raptus est, impletus tanta contemplationis potentia, dum videret illum, nil se esse, nisi pulverem vidit.... Hinc ad Moysem dicitur, Ego sum, Qui sum &c. Solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne, quod modò sic, & modò aliter est, juxta non esse est &c.* Pergit in eandem sententiam: tum humana omnia non omnino esse dicit lib. ult. in cap.42. c.2. n.3. ac superiorum persimilia loquitur lib.1. hom.2. in Ezech. n.20. & 21. Itemque l.1. in Evang. homil.18. n.3. Atque ipse etiam, quod ad notionem pertinet Veritatis, eam ita explanat lib.4. in cap.3. Job cap.32. n.65. *Vir igitur sanctus spiritu æternitatis plenus manu cordis cuncta labentia ad memoriam adstringit: &, quia angusta est omnis creatura creatori, per eundem spiritum, qui nihil in se, vel juxta se aliud, nisi semper esse habet, hoc quod erit, hoc quod præteriit, conspicit: ac infra, supraque mentis oculum tendit, & venientia, velut transacta, considerans, ad æternum esse medullitus inardescit, dicens.* Nunc enim dormiens silerem. *Nunc, enim præsentis est temporis. Et quid est stantem semper in præsenti quietem quærere, nisi ad illud, cui nihil venit, nihil præterit, gaudium æternitatis anhelare? Quod nimirum Veritas semper esse suum, ut nobis utcunque infunderet, Moyse mediante insinuat, dicens; Ego sum, Qui sum &c.* Item lib.1. in Evang. hom.18. n.3. *Ante præteriti temporis est; Sum, præsentis. Et, quia præteritum, & futurum tempus Divinitas non habet, sed semper esse habet, non ait: ante Abraham ego fui: sed,* ante Abraham ego sum; *unde & ad Moysem dicitur,* Ego sum, Qui sum &c. *Ante ergo, & post...: Veritas verò semper esse habet: quia ei quidquam nec priori tempore incipitur, nec subsequenti terminatur &c.*

17. Neminem verò fortasse adhuc vidimus, Dionysio, & Augustino exceptis, qui doctrinam Zeteticam clarius tra-

tradat, quàm Anselmus. Is enim primò, nihil aliud esse res creatas, nisi quandam ipsius Esse imitationem, & similitudinem docet his verbis in Monolog. c.31. *Videtur*, inquit, *nec facilis, nec ullatenus sub ambiguitate relinquenda quæstio. Etenim omnia hujusmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, idest, cogitamus, similitudines, & imagines sunt rerum, quarum verba sunt: & omnis similitudo, vel imago, tanto magis, vel minus est vera, quanto magis, vel minus imitatur rem, cujus est similitudo. Quid igitur tenendum est de Verbo, quo dicuntur, & per quod facta sunt omnia? Erit, an non erit similitudo eorum &c. . . . . Verùm forsitan nihil hujus remanebit ambiguitatis, si, quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur; in picto verò similitudo, sive imago illius veritatis; sic existendi Veritas intelligatur in Verbo, cujus essentia sic summè est, ut quodammodo illa sola sit; in his verò, quæ in ejus comparatione quodammodo non sunt, & tamen per illud, & secundùm illud facta sunt aliquid; aliqua imitatio illius summæ essentiæ perpendatur. Sic quippe Verbum summæ Veritatis, quod & ipsum est summa Veritas &c. Satis itaque manifestum est, in Verbo, per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem; sed veram, simplicemque essentiam: in factis verò non esse simplicem, absolutamque essentiam, sed veræ illius essentiæ vix aliquam imitationem*. Idem ipsum non minus disertè dicit cap.33. *Verbum, quo creaturam dicit nequaquam similiter est verbum creaturæ: quia non est ejus similitudo, sed principalis essentia*. & cap. 34. *Nam quæ facta sunt*, inquit, *& antequam fierent, & cum jam facta sunt, & cum corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in se ipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis, secundùm immutabilem rationem creata: in ipso verò sunt ipsa prima essentia, & prima existendi Veritas &c.* Ex hoc autem fit, quod ipse disertè paritèr docet cap.26. nihil de Deo, ac rebus creatis, nisi valde æquivocè dici: *ut, si quando Illi est cum aliis nominis alicujus communio; valde proculdubio intelligenda sit diversa significatio*. & cap.65. in quo ait, *sic esse summam essentiam supra, & extra omnem aliam naturam, ut, si quando de illa dicitur aliquid verbis,*

bis , quæ communia sunt aliis naturis , sensus nullatenus sit communis . Etsi enim res creatæ non sint omninò nihil , ut est manifestum ; verum esse tamen non habent in se ipsis : sed umbra quodammodo , atque *imitatio vix aliqua sunt* illius Esse , quod habent in Deo , qui , ut aliorum Patrum , sic etiam Anselmi sententiâ , solus verè est . Etenim Monolog. c. 28. ita scribit : *Videtur ergo consequi ex præcedentibus , quod iste spiritus , qui sic suo quodam mirabiliter singulari , & singulariter mirabili modo est , quadam ratione solus sit : alia verò , quæcunque videntur esse , huic collata ; non sint* . Lege integrum caput , cujus illa tandem conclusio est : *Ille solus creator spiritus est : & omnia creata , non sunt : nec tamen omnino non sunt , quia per illum , qui solus absolutè est , de nihilo aliquid facta sunt* . Eadem scribit in Prosolog. c. 22. *Tu solus*, ait, *Domine , es , quod es ; & tu es , Qui es . Nam quod aliud est in toto , & aliud in partibus ; & in quo aliquid est mutabile ; non omnino est, quod est . Et quod incepit a non esse , & potest cogitari non esse ; & , nisi per aliud subsistat , redit in non esse ; & quod habet fuisse , quod jam non est ; & futurum esse , quod nondum est ; id non est propriè , & absolutè . Tu verò es , quod es : quia quidquid aliquando , aut aliquo modo es ; hoc totus , & semper es . Et tu es , qui propriè , & simpliciter es : quia nec habes fuisse , aut futurum esse ; sed tantùm præsens esse , nec potes cogitari aliquando non esse . Sed & vita es , & lux &c.* Et in lib. Meditat. med. 1. n. 3. *Quid optabilius , quàm voto , & conversatione jugiter in illo esse , in quo solo , vel potius qui solus est verum esse .... Ego , ait , sum , Qui sum . Et pulchrè . Ipse enim verè solus est , cujus immutabile est esse . Ille itaque , cujus esse tam excellens , tam singulare est , ut solum verè sit ; in cujus comparatione omne esse nihil est &c.* Et Medit. 19. n. 3. Ita Deum affatur . *Tu verò verè es , & non est aliud , nisi tu , & non est tibi , nisi unum Est : quia non quod modo es , modo non es , sed quod modo es , semper es . Creaturæ autem &c.* Denique Homil. 3. in Evang. Matth. §. 6. *Ego sum , qui non mutor . . . qui ad Moysem dixi , Ego sum , Qui sum &c. res enim quælibet , si mutabilis est , non verè est . Non est enim ibi verum esse , ubi est & non esse . Nam quidquid mutari potest ; mutatum , non est , quod erat .*

At in Veritate, quæ manet, mutatio non est, nec præteritum, aut futurum, sed solum præsens .... Rectè igitur Christus, qui est æterna, & incommutabilis Veritas, dicit suis, Ego sum &c. Sed, ut Deus, sit Veritas, in eoque non solùm eminenter, ut in Causa prima efficiente; sed etiam formaliter, ut in Veritate; exemptè tamen, sint omnia; cùm illa demonstrant Anselmi loca, quæ initio retulimus, tum quæ modo daturi sumus. Monolog. c.9. *priusquam fierent universa, erant in ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent: quare, cum ea, quæ facta sunt, clarum sit, nihil fuisse, antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant, quod nunc sunt, nec erat, ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam, & secundùm quam fierent.* Cap.18. in quo Deum probat Esse sine principio, & sine fine: *Cogitet, qui potest, quando incepit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet, quia præteritum erit aliquid. Quòd, si neutrum horum cogitari potest, & utrumque hoc verum sine Veritate esse non potest; impossibile est vel cogitare, quod Veritas principium, vel finem habeat. Denique, si Veritas habuit principium, vel habebit finem: antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat Veritas: &, postquam finita erit, verum erit, quia non erit Veritas. Atqui verum non potest esse sine Veritate: erat igitur Veritas, antequam esset Veritas: & erit Veritas, postquam finita erit Veritas: quod inconvenientissimum est. Sive igitur dicatur Veritas habere, sive intelligatur non habere principium, vel finem, nullo claudi potest Veritas principio, vel fine: quare idem sequitur de summa natura, quia ipsa summa Veritas est.* Nota hìc, Anselmi sententiâ, nihil unquam esse verum, quin Veritate tunc existente verum sit: cum igitur nunquam non verum fuerit, mundum esse extiturum; nunquam non fuit Veritas, qua id verum fuit: non utique Veritas secunda, sive illud esse adumbratum, concretumque, quod mundus habet in se ipso; ergo Veritas prima, sive illud esse verum, atque exemptum, quod habet mundus idem in Deo. Ex quo illud tandem efficitur, Deum esse mundi, rerumque omnium Veritatem. Ex eadem Veritatis notione probat Anselmus, Deum esse in omni, & in nul-

nullo loco, & tempore cap. 22. *Est*, inquit, *impudentis imprudentiæ dicere, quod summæ Veritatis aut locus circumscribat quantitatem, aut tempus metiatur diuturnitatem: quæ nullam penitùs localis, vel temporalis distensionis magnitudinem suscipit, vel parvitatem*. Quod reliquum est dabimus p. 2. thes. 5. ubi de Immensitate Dei. Idem cap. 36. illud inter intelligentiam Dei, & intelligentiam nostram interesse probat; quòd nostra quidem intelligentia imago quædam, & similitudo est rei cognitæ; Dei autem intelligentia, est ipsa Veritas, ut supra animadvertimus ex Dionysio, & Augustino præcipuè. Sed de hoc infra: huc verò illa interea revocentur, quæ supra retulimus ex cap. 31. *quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur, in picto verò similitudo, sive imago illius veritatis; sic existendi veritatem intelligi in Verbo; in his verò &c.* Illud etiam insigne, & plane ex Schola Zetetica effictum, expressùmque est; quod scriptum reliquit Proslog. c.14. in hæc verba: *Cur non te sentit, Domine Deus, anima mea; si invenit te? An non invenit, quem invenit esse Lucem, & Veritatem... si vidit lucem, & Veritatem, vidit te: si non vidit te non vidit lucem, & Veritatem. An & Veritas, & lux est, quod vidit; & tamen nondum te vidit: quia vidit te aliquatenus; sed non vidit te, sicuti es?... Quanta est lux illa, de qua micat omne verum, quod rationali menti lucet? Quàm ampla est illa Veritas, in qua est omne, quod verum est: & extra quam nonnisi nihil, & falsum est? Quàm immensa est, quæ uno intuitu videt quæcunque facta sunt, & a quo, & per quem, & quomodo de nihilo facta sunt?... O summa, & inaccessibilis Lux! O tota, & beata Veritas, quàm longè es a me, qui tam prope tibi sum! Quam remota es a conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo! Ubique es tota præsens; & non te video. In te moveor, in te sum &c.* Lib. 2. cur Deus Homo cap. 18. *Nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas, qui Veritatem semper, quia ipse Veritas est, immutabilem, sicut est, esse vult*. Legatur præterea integer dialogus de Veritate, in quo Veritatem significationis a Veritate essentiæ aptè distinguit: & eam quidem in judiciis, atque enunciationibus sitam docet;

hanc

hanc autem ſtatuit in Deo: ita tamen, ut rebus creatis aliquam etiam concedat: eam nimirum, quæ propria eſt imaginis, & imitationis, quæ veræ ſunt ea duntaxat ratione, qua ſunt in ſe ipſis ſimilitudine, id quod exemplar eſt in ſe veritate: eoque veriores habentur, non utique quo magis recedunt, ac deficiunt ab eo, quod eſt verè, id quod ipſæ ſunt adumbratè; ſed quo magis ad ipſum accedunt, quoque illud fideliùs reddunt, atque exprimunt. Ut propterea actiones, quæ rectæ non ſunt, qua deſciſcunt a recto, ab ea etiam veritate, quam veritatem eſsentiæ vocat, excidere doceat. Legenda præcipuè c. 7. *An putas aliquid eſſe aliquando, aut alicubi, quod non ſit in ſumma Veritate, & quod inde non acceperit id quod eſt, in quantum eſt: aut quod poſſit aliud eſſe, quàm quod ibi eſt?* Diſc. *Non eſt putandum.* Mag. *Quidquid igitur eſt, verè eſt, in quantum hoc eſt, quod ibi eſt... Eſt igitur veritas in omnium, quæ ſunt, eſſentia: quia hoc ſunt, quod in ſumma Veritate ſunt.* Cap. 10. *Conſidera, quia, cum omnes ſupradictæ rectitudines, ideo ſint rectitudines, quia in illa, in quibus ſunt, aut ſunt, aut faciunt, quod debent; ſumma Veritas non ideo eſt rectitudo, quia debet aliquid. Omnia enim illi debent: ipſa verò nulli quicquam debet; nec ulla ratione eſt quod eſt, niſi quia eſt.* Sic verus Moſes, quod eſt exemplum Scholæ Zeteticæ, ſic, inquam, verus Moſes, ideo verè eſt, quia eſt id, quod eſt: Moſes autem pictus; ideo verè Moſes pictus eſt, ſeu, vera Moſis imago, atque imitatio eſt; quia eſt in ſe ipſa per ſimilitudinem, id quod eſt in Moſe per veritatem. Pergit Anſelmus: *Jam intelligere potes, quomodo ſummam Veritatem in meo Monologio probavi non habere principium, vel finem, per veritatem orationis. Cum enim dixi, quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid; non ita dixi, ac ſi abſque principio iſta oratio fuiſset, quæ aſſereret, futurum aliquid eſſe; aut iſta veritas* (ſcilicet enunciatio) *eſſet Deus: ſed, quoniam non poteſt intelligi quando, ſi oratio iſta eſſet, Veritas illi deeſſet: ut per hoc, quia non intelligitur, quando iſta Veritas eſſe non potuerit, ſi eſſet oratio, in qua eſſe poſſet; intelligatur illa Veritas ſine principio fuiſſe, quæ prima cauſa eſt hujus veritatis,* ſitæ nimirum in ea oratione, ſeu enun-

enunciatione: *primam causam hujus veritatis*, cum dicit, primum, & primarium verificativum intelligit, ut apparet ex his, quæ statim subjicit: *Quippe veritas orationis non semper posset esse*, (hoc est, oratio non semper posset esse vera) *si ejus causa* (hoc est verificativum) *non semper esset*. *Etenim non est vera oratio, quæ dicit futurum esse aliquid, nisi re ipsa sit aliquid futurum*; (hoc est, nisi re ipsa existat, ut Scholastici barbarissantes loquuntur, ipsius furitio, seu formalis ratio primaria, qua ipsum est futurum) *neque aliquid est futurum, si non sit in summa Veritate*. *Similiter de illa intelligendum est oratione, quæ dicit, quia præteritum est aliquid*. *Nam, si nullo intellectu veritas orationi huic, si facta fuerit, de esse poterit; necesse est, ut ejus veritatis, quæ summa causa est istius*, (hoc est, primarium verificativum) *nullus finis intelligi possit*. *Idcirco nanque verè dicitur, præteritum esse aliquid, quia ita est in re*: *& ideo est aliquid præteritum, quia sic est in Veritate summa*. *Quapropter &c.* Tandem cap. ultim. in quo *ipsam Veritatem per se subsistentem*, quæ Deus est, unam esse omnium verorum, ab iisque maximè exemptam declarat similitudine temporis, hoc pacto: *Impropriè hujus, vel illius rei esse dicitur Veritas: quoniam illa non in ipsis rebus, aut ex ipsis, aut per ipsas, in quibus esse dicitur, habet suum esse: sed cum res ipsæ secundùm illam sunt, quæ semper præsto est his, quæ sunt, sicut debent: tunc dicitur hujus, vel illius rei Veritas . . . quemadmodum dicitur tempus hujus, vel illius rei: cum unum, & idem sit tempus omnium, quæ sunt in eodem tempore simul*. *Et, si non esset hæc, vel illa res; non minus esset idem tempus: non enim ideo dicitur tempus hujus, vel illius rei, quia tempus est in ipsis rebus; sed quia ipsæ sunt in tempore*. *Et, sicut tempus per se consideratum, non dicitur tempus alicujus: sed cum res, quæ in illo sunt, consideramus; dicimus tempus hujus, vel illius rei; ita summa* VERITAS PER SE SUBSISTENS *nullius rei est: sed cùm aliquid secundùm illam est; tunc ejus dicitur veritas, vel rectitudo*. Huic Anselmi loco multum lucis accedet in altera parte Systematis, ubi *Veritatis per se subsistentis* naturam magis apertè declarare conabimur.

18. Anselmum excipiat Bernardus, ex quo hæc pauca retu-

retulisse sit satis. Lib. 5. de considerat. c. 6. n. 13. *Quis est? Non sanè occurrit melius, quàm,* Qui est. *Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente: Qui est misit me ad vos. Meritò quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est,* Est.... *Jam si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse; nonne, in comparatione hujus, quidquid hoc non est, judicas potius non esse, quàm esse?... Ipse sibi, ipse omnibus est: ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium esse &c.* Serm. 31. in Cantic. n. 1. *Nempe illa visio stat, quia forma stat, quæ tunc videtur: est enim: nec ullam capit ex eo, quod est, fuit, & erit, mutationem. Tolle nempe fuit, & erit; unde jam transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio? Quidquid veniens ex eo, quod fuit non cessat tendere in id, quod erit, transitum sanè habet per est, sed omnino non est. Nam quomodo est, qui nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde verè est, quod nec a fuit præciditur, nec ab erit expungitur: sed solum, atque inexpugnabile remanet ei* Est, *& manet quod est. Nec fuit sanè tollit illi esse ab æterno; nec erit esse in æternum: ac per hoc sibi vindicat verum esse.* Idem de Veritate ita scribit Serm. 77. in Cant. num. 5. *Veritas est, quam quærit, & quam verè diligit anima Sponsæ. Et revera, quis fidus, verusve animæ amor, nisi utique is, quo Veritas adamatur? Rationis sum compos, Veritatis sum capax... inde est, quod audet anima mea, ad dulces, castosque assurgere Veritatis amplexus: & sic in amore ipsius tota securitate, ac suavitate quiescere.*

19. Ipsi etiam Scholasticorum Principes Divus Thomas, D. Bonaventura, Scotus multa habent planè Zetetica: quorum ope quidquid ex ipsorum scriptis nobis a quoquam, qui hæc nostra curet, aliquando opponatur; explicari possit non incommodè, eoque perduci; ubi appareat, eos a Schola Zetetica non re, & doctrina; sed vocibus, ac loquendi more tantummodo dissidere. Nec verò mirum cuiquam videri debet, præstantissimos hosce nobiliorum disciplinarum Magistros ab antiquis Zetetis discrepare verbis, quibus

 cum

cum re consentiunt. Cum enim Christianæ rei plurimùm interesse putarent, e Schola, tanquam ex veteri regno, depelli, detrudique Platonem; in eoque propemodum conspirarint, ut Aristoteli philosophicam omnem ditionem, quàm latè patet, subiicerent; iis alia non solùm philosophandi ratio, sed etiam loquendi forma, ex ipsiusmet Aristotelis disciplina, instituenda necessariò fuit: quo & illi arctiùs hominum studia illigarent, & a Platone, sicubi re non poterant, verbis saltem discederent. Ea verò præsertim de causa Religioni magis a Platone, quàm ab Aristotele timendum censebant; quod Plato quidem nostrorum dogmatum affinia permulta docet; contra verò indidem longè distat, atque aberrat Aristoteles. Contagio autem semper ex proximo est: nec error est periculosior, quàm qui propior est veritati. Quæ ratio magni sanè momenti, & ponderis visa est Bellarmino: eàdemque, ut ex Malinkroto refert eruditissimus vir Jo: Albertus Fabricius Biblioth. Græcæ l.3. c.1. cum Clemens VIII. Platonem restituere cogitaret, illum ab ea mente, & consilio deduxit. Porro autem Plato, quòd ad Fidei nostræ dogmata propiùs, quàm reliqui omnes ethnicorum philosophi, accessit; id Scholæ Zeteticæ potissimum debet: quippe qui Ægyptios Hierophantas, Ebræorum discipulos, adiit, & Sechnuphidi Heliopolitæ in disciplinam se tradidit: atque, ut testatur Jamblichus in lib. de Myster. ex Mercurii columnis, doctrinæ Zeteticæ monumentis, philosophiam didicit: subterraneosque adytus, quos Syringes appellant, & saxa omnia Mosis doctrina, ac rebus gestis inscripta, atque impressa diligenter lustravit. Nec, si ista negentur, dubitari tamen prudenter possit, quin ex Investigationis Schola vetustissima, atque percelebri cùm res complures acceperit, atque adeo ipsos illos veri Esse caracteres, quos supra descripsimus; tum verò accuratiùs, & longè quidem fideliùs ipsum philosophandi genus, rerum nomina, notiones quandoque ipsas, partitiones expresserit. Ex quibus illud efficitur, quod nuper asserui, mirum non esse, sapientissimos Viros, qui Christianorum Schola Platoni penitus interdictum volebant, ac totam propterea philosophandi,

di,

di, loquendique rationem mutandam duxerunt; ne doctrinæ quidem Zeteticæ pepercisse omnino: sed, rebus ipsis retentis, quæ quidem abjici videntur non posse, iis aliam prorsus speciem, ac formam quodammodo aptasse. Id igitur hic qualecunque doctrinæ hujus specimen exhibeo ex S.Thoma. Zetetica certè illa sunt, quæ scripsit p.1.q.3.a.7. *Cum Deus sit ipsa forma, vel potius ipsum* ESSE, *nullo modo compositus esse potest*. q.13.a.11. *Hoc nomen, Qui est, est maximè proprium Dei, propter sui significationem .... significat enim* IPSUM ESSE. de Pot. Dei q.7. a. 2. ad 8. *Deum magis dici debere, quòd est* IPSUM ESSE, *quàm sit id, quod est*. q. 2. de Verit. a.3. ad 16. *Esse simpliciter, & absolutè dictum de solo Divino esse intelligitur: sicut & bonum, ratione cujus dicitur Jo.19. Nemo bonus, nisi solus Deus*. & a. 4. ad 7. *Illud esse propriè dicitur esse, in quantum ratione suæ immutabilitatis non novit fuisse, vel futurum esse. Esse autem creaturæ dicitur esse per quamdam similitudinem ad illud primum esse*. His verò illud cohæret, atque e Schola Zetetica ductum pariter est, quod alibi tradit: in rebus creatis nihil, nisi similitudinem; in Deo nihil nisi veritatem: ut scientia ipsa Dei, in qua quidem res creatæ sunt, ut ipse loquitur, *per proprias rationes;* rerum ipsarum, non imago, sed Veritas sit. Hujuscemodi sunt: p.1. q.14. a.8. ad 3. *sicuti scibilia naturalia sunt priora, quàm scientia nostra, & mensura ejus; ita scientia Dei est prior, quàm res naturales, & mensura ipsarum*. 1.2. q.2. a.3. *Res cognita aliter comparatur ad cognitionem divinam, & aliter ad cognitionem humanam. Humana enim cognitio a rebus cognitis causatur: sed divina cognitio est causa rerum cognitarum*. q.93. a.1. ad 3. *Ratio intellectus Divini aliter se habet ad res, quàm ratio humani intellectus. Intellectus enim humanus est mensuratus a rebus, ut scilicet conceptus hominis non sit verus, propter se ipsum, sed dicitur verus ex hoc, quòd consonat rebus. Ex hoc enim, quòd res est, vel non est; opinio vera, vel falsa est. Intellectus verò divinus, est mensura rerum: quia unaquæque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum, ut in primo dictum est* q.16. a.1. *& ideo intellectus divinus est verus secundùm se: unde ratio ejus est ipsa Veritas*.

Eadem prorſus docet in 1. Sent. d. 19. q. 5. a. 2. ad 2. & diſt. 39. q. 1. a.2. ad 2. atque alibi ſæpe: in quibus ſanè & re, & verbo Scholæ Zeteticæ prorſus adhæret: cujus cum illa ſit velut Hypotheſis; unum Eſſe, & duo quaſi ſtatus, Veritatis ſcilicet, atque Imitationis; ejus ſententiâ, res creatæ quà ſunt, nihil niſi imitatio ſunt, Deus contra, quantum quidem ad nos ſpectat, & a nobis hic cognoſci poteſt, nihil niſi Veritas eſt. Hoc ipſum autem disertè tradit D.Thomas, cujus illa ſunt 1.p. q.4. a.3. ad 4. *licèt aliquo modo concedatur, quòd creatura ſit ſimilis Deo; nullo tamen modo concedendum eſt, quòd Deus ſit ſimilis creaturæ*. Tum affert exemplum ſupra propoſitum ex Dionyſio. *Dicimus enim, quòd imago ſit ſimilis homini, & non e converſo*. q.6. a.4. *Quamvis opinio Platonis irrationabilis videatur, quantum ad hoc, quòd ponebat ſpecies rerum naturalium ſeparatas per ſe ſubſiſtentes ... tamen hoc abſolutè verum eſt, quod aliquid eſt primum, quod per ſuam eſſentiam eſt ens, & bonum, quod dicimus Deum ... A primo igitur per ſuam eſſentiam ente, & bono, unum quodque poteſt dici bonum, & ens, in quantum participat ipſum, per modum cujuſdam* ASSIMILATIONIS *... ſic ergo unumquodque dicitur bonum bonitate divina, ſicut primo principio exemplari, effectivo, & finali totius bonitatis. Nihilominus unumquodque dicitur bonum ſimilitudine divinæ bonitatis ſibi inhærente,* (quam paulo ante ex Auguſtino, & Anſelmo rei veritatem ſecundariam diximus) *quæ eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum: & ſic bonitas una omnium* primaria, & exempta: *& etiam multæ bonitates* ſecundariæ, & contractæ. In 1. Sent. d.19. q.1. a.2. *Quandoque autem qualitas aliqua eſt propriè, & plenè in uno: & in alio eſt tantùm quædam* IMITATIO *illius, ſecundùm aliquam participationem: & tunc illa qualitas non dicitur utriuſque, ſed ejus tantùm; quod eam plenè poſſidet. Et tunc illud, quod non plenè habet, dicetur* SIMILE *ei, quod plenè habet, & non e converſo: ut, ſi dicamus, quòd pictura eſt ſimilis homini, & non e converſo. Non enim dicitur, quod homo ſit ſimilis ſuæ imagini, propriè loquendo*. Hoc eodem exemplo, ut ſupra vidimus, utitur Schola Zetetica, eoque probat, nihil de Deo ſimul, ac rebus creatis, niſi æquivocè dici: ejus enim

enim perfectionis, quæ de utroque affirmatur, etsi nomen sit idem, ratio tamen illa, atque notio, quæ ei nomini subest, est tam diversa, quàm diversa est ratio hominis veri, atque hominis picti: quoniam Deus est Esse, ut est in se ipso re, & veritate; Creaturæ autem sunt Esse, ut est extra se ipsum adumbratione, similitudineque. Quod ipsum his etiam D. Thomæ testimoniis efficitur, & aliis insuper, quæ jam profero. In 1.Sent. d.35. a.4. ad 6. *Inter Deum, & Creaturam non est similitudo per convenientiam in aliquo uno communi, sed per* IMITATIONEM. *Unde creatura similis Deo dicitur, sed non convertitur: ut dicit Dionysius*. Idem repetit d. 48. a.1. ad 4. Q. 2. de Potent. a.1. *Natura divina communicat se ipsam per solam sui* SIMILITUDINEM *Creaturis, quod omnibus patet. Nam quælibet Creatura est ens secundùm* SIMILITUDINEM *ad ipsam*. Denique q.2. de Ver. a.11. quamvis loquendi modo discordet a Schola Zetetica, quippe qui, ut alibi *Ens*, ita hìc *Scientiam* de Deo, & nobis analogicè dici contendit, sed fortè *analogicè*, idem hìc ipsi est, ac *æquivocè*. ad 1. certè fatetur ex Dionysii loco sæpe citato, *Deum nullo modo similem creaturis dicendum esse: sed creaturas similes posse dici Deo... quia homo non dicitur suæ imagini similis, sed e converso*. Vide præterea & Quodlib. 11. a. 1. ad 5. & lect. 3. in c.5. de Divin. Nomin. Tandem Veritatem exemptam, ac per se subsistentem, ex Schola Zetetica, ipse etiam agnovit in Deo: in quo non solùm, ut est rerum omnium efficiens causa, res omnes esse voluit eminenti quodam, atque excellenti modo, ut etiam Zetetæ docent; sed præterea, ut est omnium intelligens, omnia in eo esse dixit, secundùm *propriam cujusque rationem*: hoc autem inter Dei, atque hominum, Angelorumque intelligentiam præcipuè interesse voluit; quòd hæc quidem rei cognitæ imago; illa verò sit ipsa veritas. His accedunt, quæ Veritatis exemptæ, ac per se subsistentis doctrinam illustrent, ac roborent, ex eodem S. Doctore, primùm quod habet 1. p. q. 16. a.5. *Esse Dei est ipsum suum intelligere, & suum intelligere est mensura, & causa omnis alteriùs esse, & omnis alteriùs intellectus: & ipse est suum esse, & intelligere. Unde sequitur, quòd non solùm in*

ipsa

ipso sit veritas; sed quod ipse sit ipsa summa, & prima Veritas. Res enim, scripserat idem quæst. ejusdem a.1. *dicuntur esse veræ, secundùm quod aßequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in mente Divina*. quod iterat a.8. Hinc a.6. *Si loquamur*, inquit, *de veritate, prout existit in intellectu, secundùm propriam rationem ... sicut ab una facie hominis resultant plures similitudines in speculo, sic ab una veritate divina resultant plures veritates. Si verò loquamur de veritate, secundùm quòd est in rebus, sic omnes sunt veræ una prima Veritate, cui unumquodque assimilatur, secundùm suam entitatem. Et sic, licèt plures sint eßentiæ, vel formæ rerum, tamen una est Veritas Divini intellectus, secundùm quam omnes res denominantur veræ*. Idipsum præterea comprobat, quod est toto art.7. & 8. Quibus hæc planè congruunt, & consentiunt: 1.2. q.3. a.7. *Cum eadem sit dispositio rerum in esse, sicut in veritate ... relinquitur, quòd solus Deus sit veritas per eßentiam, & quòd ejus contemplatio faciat perfectè beatum*. Q. 93. a.1. ad 3. cit. *Intellectus humanus est mensuratus a rebus: ut scilicet conceptus hominis non sit verus, propter se ipsum, sed dicitur verus ex hoc, quod consonat rebus ... Intellectus verò divinus est mensura rerum: quia unaquæque res intantum habet de veritate, inquantum imitatur intellectum Divinum, & ideo intellectus Divinus est verus secundùm se: unde ratio ejus est ipsa Veritas*. Quæst. 1. de Verit. a.4. c. *si ergo accipiatur Veritas propriè dicta, secundùm quam omnia principaliter vera sunt, sic omnia sunt vera una veritate, idest veritate intellectus divini .... si autem accipiatur veritas impropriè dicta, secundùm quam omnia dicuntur vera, sic sunt plurium verorum plures veritates ..., Quamvis res exemplentur difformiter a Veritate divina, non tamen propter hoc excluditur, quin res una Veritate sint veræ, & non pluribus propriè loquendo, quia id, quod diversimodè recipitur in rebus exemplatis, non propriè dicitur Veritas, sicut propriè dicitur Veritas in exemplari*. Art.5. præter ea, quæ scripta sunt in rem nostram toto articuli corpore; ad 11. *quamvis concedatur simpliciter, quòd Veritas rerum omnium fuit ab æterno, per hoc, quod fuit in intellectu Divino: non tamen potest concedi simpliciter, quod res veræ, fuerunt* (idest, extiterunt) *ab æterno*,

no, per hoc quod fuerint in intellectu Divino. Lege propterea, si libet, reliquos hujus quæstionis articulos: tum deinde q. 21. a.4. ad 5. q.27. a.1. ad 7. Opusc.3. c.105. & alia plurima, quæ tibi passim occurrent, quæque vel nullo pacto, vel solis vocibus, ac loquendi more a Scholæ Zeteticæ placitis, & doctrina differunt.

20. In diversa quidem, sed non multo fortasse longiùs abiere D. Bonaventura, & Scotus. Primus, tametsi rebus creatis aliquam veritatis rationem attribuit in 1. Sent. d. 8. q. 1. quòd nempe *in creatura sit aliquo modo invenire & indivisionem, & imitationem, & expressionem*; ibidem tamen hæc addit: *est in Creatura imitatio cum dissimilitudine, & expressio cum obscuritate, & ideo Veritas est Divini esse proprietas: & sic accipit Magister, & Augustinus, & Hieronymus. Vocant enim verum esse, quod nihil habet de possibilitate, nihil habet de vanitate, nihil de non entitate. Et ideo in Deo non cadit præteritio, & futuritio, quæ aliquo modo non entia sunt*. Tum q. 2. Deum esse dicit, *summam Veritatem, sive ipsum Esse*. Utramque notionem complexus est Serm. 2. de decem præcept. n. 5. *Respondit Dominus; Ego sum, Qui sum. Et tunc dedit ei Dominus duo, scilicet lumen Essentiæ æternitatis, & lumen Veritatis æternæ*. Scotus more suo de rerum Veritate exempta subtilissimè disputat in 1. Sent. d. 3. q.4. Schol. 9. *Intellectus divinus*, inquit, *continet istas veritates, quas habet, sicut dicit illa auctoritas Augustini de Trinit.14. c.15. quòd istæ regulæ scriptæ sunt in libro lucis æternæ, idest, in intellectu divino, in quantum continet veritates istas, & licèt ille liber non videatur, videntur tamen illæ quidditates, vel veritates, quæ scriptæ sunt in illo libro; & eatenus posset dici intellectus noster videre veritates in luce æterna, hoc est, in illo libro, sicut in continente objectum &c.* Obicientibus autem ex August. 83. q.q. 46. Nonnisi puras animas ad rationes intelligibiles pertingere; ita respondet: *Ista puritas non debet intelligi a vitiis, quia August. idem 15. de Trinit. c.15. vult, quòd injustus videt in regulis æternis, quid in his sentiendum sit, & 4 lib. c. præalleg. vult, quòd Philosophi viderunt veritatem in regulis æternis, sine fide: & q. eàdem vult, quòd nullus potest esse sapiens*

sine

ſine cognitione idearum, eo modo, quo Platonem, forſan concederet eſſe ſapientem; ſed iſta puritas debet intelligi elevando intellectum ad conſiderandum veritates, ut relucent in ſe (nimirum exemptæ) *non tantùm, ut relucent in phantaſmate .... Non enim hæc propoſitio, Totum eſt majus ſua parte, primò vera eſt, ut Totum eſt in lapide, vel ligno: ſed ut Totum abſtrahitur ab omnibus, quibus conjungitur per accidens, & ideo intellectus, qui nunquam intelligit totalitatem, niſi in conceptu per accidens, puta in totalitate lapidis, vel ligni, nunquam intelligit ſinceram veritatem hujus principii: quia nunquam intelligit præciſam rationem termini, per quam eſt veritas. Paucorum igitur eſt pertingere ad rationes æternas, quia paucorum eſt habere intellectiones per ſe, & multorum eſt habere conceptus tales per accidens...Et iſto modo intelligitur illud Auguſtini de vidente in monte, & vidente inferiùs aerem nebuloſum, & ſuperiùs aerem ſincerum 9. de Trin. c. 6. Qui enim tantùm intelligit ſe per conceptus per accidens, ipſe eſt, quaſi in valle poſitus, circumdatus aere nebuloſo: ſed qui ſeparat quidditates, intelligendo præcisè eas conceptu per ſe, quæ tamen relucent in phantaſmate cum multis aliis accidentibus adjunctis, ipſe habet phantaſma inferiùs, ſcilicet aerem nebuloſum: & ipſe eſt in monte, in quantum cognoſcit illam veritatem, & videt verum ſupra, vel iſtam veritatem ſuperiorem in virtute intellectus increati, quæ eſt lux æterna.* In quibus omnibus venit rerum iſtarum eſse illud exemptum, atque intelligibile, quod habent in mente Divina, quæ, ut dixit idem paulo ante, eſt *Veritas, & lux æterna*. Idem in Reportat. Pariſienſ. amplecti, tuerique videtur, quod primum, ac præcipuum affert Zetetica Hypotheſis, unicum Eſse nimirum, & duos ſtatus, Veritatis nempe, & adumbrationis: cum Ideæ deſcriptionem profert ex Auguſtino, & ipſammet Creaturam, ut cognitam, ideam eſse defendit: ſic autem loquitur lib. 1. d. 36. q. 2. Schol. 5. *Hoc etiam per Platonem, qui primò induxit nomen Ideæ: poſuit enim mundum ſenſibilem extra, & mundum intelligibilem in mente Divina: & mundum intelligibilem in mente Divina vocavit ideam mundi ſenſibilis in re extra: mundus autem intelligibilis non eſt, niſi mundus extra; ut eſt objectivè in eſſe cognito*
in

in mente Divina: *idea igitur mundi in re extra non est*, *nisi mundus intelligibilis*, *sive mundus in esse cognito*, hoc est, in Veritate. Id luculentiùs exponit in Tract. de primò rerum princip. c. 4. Schol. 11. ab iis verbis: *Tu solus es Veritas prima &c.* ac subinde a num. 37. ad 38. Sed & alibi sæpe, ut per se quisque videre facilè poterit, quod quidem ad Veritatem pertinet, & rebus, & verbis ad veteres Zetetas quàm proximè accedit: nam de Ente longè aliter loquitur. Nos verò, quoniam propriis ipsorum testimoniis satis jam ostendimus, quid tum rerum, tum verborum in utraque notione tenendum sit; aliò gradum facimus: & doctrinam auctoritate satis munitam, rationis etiam præsidio firmamus.

§. III.

Hypothesis stabilimentum alterum

A RATIONE.

21. ETsi tutandæ, propugnandæque Zeteticæ Hypothesi Locus hic etiam multa nobis offert, atque suppeditat; ut tamen & brevitati consulam, & causæ non desim; duo potissimum seligam, quæ, quoniam a priscis quoque Inquisitoribus veri adhibita sunt; iis ad eam vim, quam per se obtinent, multum etiam roboris, ac firmitatis accedit ab auctoritate. Et primum quidem rem planè evincit: alterum verò declarat. Eo Christiani Zetetæ, hoc Ebræi usi sunt, qui doctrinam, quam a primis ipsis Scholæ auctoribus recèns acceperant, exemplis, ac rerum corporearum imaginibus ad juniorum captum accomodare, & oculis quasi subjicere studuerunt: argumentis autem, & rationibus confirmare fortasse veriti sunt. Illud tractandum primò, quod ut validius est, ac firmius; in eo stabilimentum erit Hypothesi nostræ; in altero autem quædam tantum perfectio, & ornatus. Hypothesis illa reliquis omnibus est præferenda, quæ de Dei natura altius quiddam, atque excellentius cogitat, & informat, quàm reliquæ omnes:

eamque Dei notionem affert, quæ ipsum maximè distinguat, ac ſegreget ab omni eo, quod Deus non eſt: hæc autem habet Zetetica Hypotheſis: reliquis igitur omnibus Zetetica Hypotheſis eſt præferenda. Primum negari non poteſt: cum Fides, & Ratio ipſa doceat, ſitque in ore omnium Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, Deum id eſſe, quo melius cogitari nil queat: Tota igitur diſſenſio, ac pugna eſt de ſecundo. Id verò facilè evincitur: Nam in alia omni aliorum philoſophorum Hypotheſi, notio tandem aliqua Deo, ac rebus creatis communis habetur: eſtque aliqua ratio, qua utrunque involvi, & confundi putetur: quæque, ut ipſi loquuntur, vel univocè, vel ſaltem analogè de utroque dicatur. Quo fit, ut, cum Deum definiunt, eum non ſatis efferant ſupra res cæteras: quippe qui rebus creatis aliquid relinquunt, vel planè ejuſdem; vel partim quidem ejuſdem, partim autem diverſæ rationis. Zetetæ autem contra, qui verum Eſſe unicum ſtatuunt, quoniam ei, ut eſt extra ſe quodammodo in rebus creatis, nihil perfectionis, atque excellentiæ ineſſe dicunt, quod idem non habeat in ſe ipſo; & in ſe ipſo quidem re, & veritate, extra ſe autem adumbratione, & ſimilitudine; ii demum, ut par eſt, Dei naturam ab omni eo, quod Deus non eſt, apta notione ſejungunt, atque eximunt: in eorumque tandem Hypotheſi facilè intelligas, quod, inter opera Auguſtini, eſt apud Scriptorem libri de Cogn. veræ vitæ, res creatas, quacunque ratione conferantur cum Deo, ad eum ita ſe habere, uti falſum ad verum: quodque ex ſuamet, ac cæterorum omnium Patrum doctrina concludit, ac diſertè teſtatur Anſelmus; eorum omnium, quæ de Deo pariter, ut de rebus creatis affirmantur, ſolum nomen eſſe commune: rationem verò eo nomine ſignificari omnino aliam: tam nempe aliam, quam alia eſt ratio hominis picti, atque hominis veri: quod ex Schola Zetetica a nobis dictum eſt ſæpe.

22. Reſpondeant fortaſſe aliqui, Deum in hac Hypotheſi ſeparari quidem, ac dividi a rebus creatis: has verò plus deprimi, quàm recta & Fides, & Ratio ſinat: nam ſi
res

res creatæ in se ipsis verè non sunt; sequitur, eas nec veram libertatem, nec veram scientiam, nec veram vitam, in se ipsis habere: quoniam, cogitatione nostra, priùs est esse, quàm hæc omnia esse: nec sanè intelligi potest, eum vera vita, scientia, libertate præditum esse, qui non sit verè. Nos verò his omnibus jam antevertimus, & satis quidem occurrimus num.2. Ajo tamen iterum: quod res a Deo effectas non in se ipsis, sed in summi ipsius Artificis mente verè esse dicimus, non ita est accipiendum; quasi & homines v. g. & Angeli conditi a Deo in se ipsis veri non sint, sed hominum, & Angelorum imitamina quædam, atque umbræ dumtaxat. Sunt oppidò, sunt: ac veri quidem homines, & angeli sunt in se ipsis: sed hoc est verus homo, hoc est verus angelus, adumbratio quædam nimirum illius veri esse, quod habet in mente Divina, quæ ipsa rerum Veritas est. Atque hoc pariter est hominis, & Angeli vera vita, vera scientia, vera libertas; umbra quædam scilicet illius veri esse, quod hæ quoque hominis, & angeli perfectiones habent in Veritate. Atque hoc esse exemptum, ac verum & hominis, & Angeli, eorumque vitæ, scientiæ, libertatis, ac perfectionum reliquarum significare, atque ostendere fortasse voluit Dionysius Areopagita, cum scripsit c.5. de Div. nom. a §.5. *Ipse est ante omnia, & universa in ipso consistunt, & simpliciter, si quid quomodolibet existit, in ipso praeente tum est, tum intelligitur, tum salvatur: & ante alios ejus participationes præsupponitur ipsum esse, & est ipsum per se esse antiquius, quàm esse per se vitam, & per se sapientiam, & per se similitudinem divinam .... Siquidem in Unitate omnis numerus uniformiter præexistit &c. & in Centro omnes lineæ circuli una copulatione simul existunt &c. .... atque ideo ab Eloquiis, qui verè præexistit, secundùm omnium eorum, quæ sunt, cogitationem multiplicatur .... Quamobrem universa ipsi entia, secundùm unam omnibus exemptam unionem illi tribuenda sunt: quandoquidem ab ipso Esse substantificam progressionem, & bonitatem inchoans*, ac deinceps, quasi ex ordine, procedens ad ipsius vitæ, scientiæ, & libertatis rationes, *ac per universa commeans, atque ex se-*

se eßentia complens omnia, & in omnibus, quæ sunt, exultans prius in se habet omnia, secundùm unicam simplicitatis excellentiam duplicitatem omnem respuens &c. Videndum præterea in hanc ipsam rem, quo pacto cap. 11. §. 6. propositam sibi a Timotheo quæstionem explicet; quæ erat ejusmodi: cur *ipsum esse, ipsam vitam, ipsam sapientiam, aliàs Deum, aliàs a Deo esse diceret, atque in rebus creatis quodammodo numeraret*, quibus ea respondet, quæ in nostram sententiam per quam facile veniant, nullaque adhibita vi. Si enim Deus est ipsa Veritas, in eo est modo quodam exempto ab omni & loco, & tempore, homines, & angeli quid futuri sint; ubi, & quando futuri; quam vitam, quam scientiam, quam libertatem habituri. Quæ Veritates, cogitatione nostra distinctæ invicem, cum sint omnes in Deo, ac Deus quod habet, illud sit; utique Deus sunt: eædemque ipsius Esse progressiones quædam sunt, & dicuntur: ut explicabimus in tract. de Deo Trino: ubi percelebrem etiam quæstionem de actionibus liberis Dei, ex ipsiusmet Zeteticæ Scholæ disciplina, pro viribus enodabimus. Hic illud ex Dionysio confirmamus: esse quidem in Deo, & a Deo veritatem primò quidem illius Esse; tum etiam Vitæ, Scientiæ, Libertatis, ac cæterorum omnium, quæ futura sunt in Angelis, & Hominibus: nec tamen hæc in angelis ipsis, & hominibus vera non esse: quoniam, ut tertiò dicimus, hoc est verus homo, verusque angelus; hoc vera vita, scientia, libertas humana, & angelica; imitatio nempe, non veritas illius esse exempti, sive, ut Dionysii ipsius verbo utar, illius anticipationis, qua hæc omnia, priusquam in se ipsis, sunt in Unitate, & in Centro: prius, inquam, quàm in se ipsis, more loquendo nostro: nam Zetetæ veteres non alias hìc adhibent voces, quàm מן חוץ, seu ἐξῃρημένως, hoc est, *exemptè*, & *abstractè*. Sed accipe, quemadmodum hæc ipsa dicantur a D. Thoma, qui & hìc nobiscum consentit; & universè, si perpauca mutes, quæ quidem potius rerum nominibus, quàm rebus ipsis tenentur, Zeteta est germanissimus. Ita igitur scriptum est 1. p. q. 18. a. 4. *Creaturæ in Deo esse dicuntur dupliciter. Uno modo in-*

quan-

quantum continentur, & conservantur virtute divina... Et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis: in ipso vivimus, movemur, & sumus: quia etiam nostrum vivere, & nostrum esse, & nostrum moveri causantur a Deo. Alio modo dicuntur res esse in Deo, sicut in cognoscente: & sic sunt in Deo per proprias rationes, quæ non sunt aliud in Deo ab essentia Divina. Unde res, prout sic sunt in Deo, sunt essentia Divina... Quòd si de ratione rerum naturalium non esset materia, sed tantùm forma, omnibus modis veriori modo essent res naturales in mente Divina per suas ideas, quàm in se ipsis. Propter quod & Plato posuit, quòd homo separatus erat verus homo: homo autem materialis est homo per participationem. Sed quia de ratione rerum naturalium est materia, dicendum quòd res naturales verius esse habent simpliciter in mente Divina, quàm in se ipsis: quia in mente Divina habent esse increatum, in se ipsis autem esse creatum. Sed esse hoc, utpote homo, vel equus, verius habent in propria natura, quàm in mente Divina, quia ad veritatem hominis pertinet esse materiale, hoc est, esse adumbratum, esse falsum, atque insincerum, *quod non habent in mente Divina. Sicut domus nobilius esse habet in mente artificis, quàm in materia: sed tamen verius dicitur domus, quæ est in materia, quàm quæ est in mente.* Quæ utique doctrinæ Zeteticæ proxima sunt: ac certè propiora, quam quæ ex Platone retulit hic S. Doctor: nam verus homo, is quem omnes hominem dicimus, similitudo quidem Dei est, sed impressa, & insculpta in esse finito, multiplici, composito, mutabili &c. quæ notæ sunt, & caracteres esse non veri: ex quo fit, ut esse illud exemptum, quod per hoc exprimitur, quodque huic respondet in Unitate, atque in Centro, hoc est, in ipsa Veritate; hanc ipsam ob causam, quòd est esse verum, non sit verus homo. Idem porro dictum volo de hominis vita, scientia, libertate: nanque hæ perfectiones omnes collatæ cum iis Divinis rationibus, quas in se ipsis adumbrant, ac referunt; quoniam ipsarum quidem participationes sunt, sed extra rationem esse veri; ad eas se habent, veluti totidem imagines, atque umbræ: atque hoc est vita, scientia, libertas verè humana, rationis nempe

ipsi

ipsi respondentis in mente Divina, non veritas, sed adumbratio: contra autem ratio illa, ob id ipsum, quod non adumbratio, sed veritas est; vita, scientia, libertas verè humana non est. Sed urgent hìc adversarii nihilosegnius, nec quicquam remittunt. Homo, inquiunt, vera pollet & vita, & scientia, & libertate, nam verè idem & peccat, & rectè agit. Utique: fatetur id, ac defendit Schola etiam Zetetica: sed, quid tum? Veræ sunt igitur, inquiunt, hæ hominis perfectiones etiam in se ipsis, nec meræ sunt vitæ, scientiæ, ac libertatis adumbrationes, ac nomen sine re. Acutam sanè conclusionem! qui tamen adeo acutè videtis, adhuc, meo fortasse vitio, quæ sit hac de re Zetetarum sententia, non planè perspicitis. Ajunt illi quidem, *rerum creatarum in Deo non esse similitudinem, sed veram, simplicemque essentiam; contra verò in rebus ipsis creatis non esse simplicem, absolutamque essentiam, sed veræ illius essentiæ vix aliquam imitationem. Eo nempe modo, quo in vivo homine Veritas hominis esse dicitur; in picto verò similitudo, sive imago illius Veritatis.* Sic enim expresse loquitur Zeteta Christianus a nobis citat. num.17. At non continuò, ipsorum sententiâ, hæc similitudo, hæc imago, hæc imitatio vix aliqua, nihil est, aut inane nomen tantummodo, sine re: quod de hominis facultate libera visum est Luthero, Calvino, aliisque eorum asseclis, quos anathemate feriit Concilium Triden. sess.6. can.5. Si quis liberum hominis arbitrium . , . . rem esse de solo titulo, immo titulum sine re &c. Rem igitur suam cuique nomini subesse volunt Zetetæ: in eaque ipsa re similitudinis, imaginis, imitationis vix quidem alicujus, sed tamen alicujus rationem positam docent. At quid tandem rei subjectum est hisce nominibus, Zetetarum sententia? Non aliud sanè, quàm quod iisdem significari Scholæ omnes Catholicæ volunt. Quod enim ad Vitam pertinet, Schola etiam Zetetica in homine ipso suorum motuum, atque operum principium constituit: neque illum pulsu dumtaxat externo, aut alieno agitari docet, sed motu cieri interiore, & suo. Quod autem ad scientiam; eundem res sibi rite objectas & sensu, & mente percipere; &, cum propria ipse for-

forma præditus sit, natum, atque aptum esse dicit ad recipiendam formam etiam, ac speciem aliorum: quo S. Thomas 1.p. q.14. art.1. cognoscentia distinguit a non cognoscentibus. Immo repetit, & suo sibi jure vindicat, quod ibidem citatur ex Aristotele l.3. de anim. tex.37. t.2. *Animam esse quodammodo omnia*. Tum demum tertiò, quod spectat ad libertatem, suam pariter esse dicit eam causæ liberæ notionem, quam modo defendunt Scholæ Catholicæ: ut nimirum causa ea libera sit, quæ instructa, completaque iis omnibus, quæ ad agendum sunt necessaria, agere tamen, vel non agere, pro libito queat, Atque etiam post Adæ peccatum in homines convenire: *Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum &c.* ut Eccl.XV. 17. scripsit Jesus filius Sirach Hierosolymitanus, qui certis capitibus complexus est lectissimas quasque Salomonis sententias, aliorumque Ebræorum Sapientum, qui Scholam Zeteticam illustrarunt. Hæc de re: quod autem pertinet ad voces, quoniam nec in homine ipso, neque in his ejus perfectionibus insunt notæ illæ, & caracteres veri esse, quos supra recensui, neque enim sunt æternæ, infinitæ, immutabiles, aut aliud quidpiam ejusmodi habent; eam omnes cùm Ebræi, tum Christiani Zetetæ regulam servant; ut hæc esse dicant, si non comparentur cum Deo: secus verò, si comparentur. Nam certè falsum nil dicitur, nisi aliquo modo comparatum cum vero. Sed de hoc satis dictum est num.13. ex Augustino. Ea summa est: apud Zetetas, quacunque ratione res creatæ conferantur cum Deo, ab eo non minus differant, quàm falsum a vero. Quibus autem in rebus hæc falsitas, seu veritatis qualiscunque adumbratio posita sit, quoad ea tria præcipuè, quæ nobis objecta sunt, modò exposuimus: atque ex iis facilè, erit de reliquis æstimare. Illud hìc postremum moneo, Zetetas aliquos alium prorsus loquendi modum sequutos aliquando: quique plerunque ajunt, Deum esse verè, & propriè, non item creaturas; iidem interdum è contrario, creaturas esse verè, & propriè dicunt, secus autem Deum. Quibus duobus in speciem sibi mutuò adver-
san-

iantibus eadem prorſus res ſubeſt. Tam enim Deum diſtinguis, & ut pars eſt, ſegregas ab omni re alia, ſi, cum Deum verè eſse dicas, quod Deus non eſt, infra rationem veri eſse deprimas; quàm, ſi cum res creatas verè eſse affirmes, quod Deus eſt, ſupra rationem veri eſse evehas. Cæterùm de ſe ipſo Deus ita loquutus: *Qui eſt &c. ſolus eſt &c.* Quare hunc loquendi modum alteri præferendum cenſeo.

23. Reſpondebunt fortaſse alii è contrario; non rerum effectarum, ſed ſummi ipſarum Opificis naturam deprimi Zetetarum Hypotheſi: quæ ratio igitur Hypotheſi eidem ſtabiliendæ, & communiendæ a nobis eſt adhibita, eâ ipsâ directò oppugnari. Qui enim, inquient, non Eſse ipſum, ſed ſtatus tantummodo diſtinguit, is Deum non ſatis diſcludit, ac ſegregat a rebus creatis, nec quicquam de ipſo, niſi valde anguſtum, atque humile cogitat: ſtatuum quippe differentia minima eſt: eaque vix inter ſe diſcrepant, quæ ſolo ſtatu diſcrepant. Equidem iſta etiam ab ipſo ſtatim initio præverti: huc revoces quæ ſcripta ſunt num. 1. atque illud in primis animadvertas, Entis ſtatus, ſeu quaſi ſtatus, in nomine enim hærendum non eſt, non duos qualeſcunque a Schola Zetetica poſitos; ſed alterum rei, & veritatis; alterum adumbrationis cujuſdam dumtaxat, & ſimilitudinis: quorum ſtatuum differentia ſumma eſt: eaque, quæ ita diſcrepant maximè diſcrepant. Exemplum in promptu eſt illud ipſum, quo ſæpe uſi ſumus: Moſem enim, quòd ipſe idem, qui vivus, ac verus eſt in ſe ipſo, exprimatur in tela, vel marmore; Moſem, inquam, unicum dicimus, ejuſque duos quaſi ſtatus diſtinguimus, imitationis alterum, alterum veritatis. Nec verò, qui ita loquimur, Moſem a ſua imagine non ſatis diſcludimus, ac ſegregamus. Siquidem homines omnes, omnia bruta, omnes plantæ, infinita denique, quæ Moſes non ſunt, ab eoque differunt ratione ipſius eſse; minus tamen ab illo differunt, quàm quod ab ipſo differt ratione ſtatus, eſtque ipſe idem Moſes, ſed fictus, atque adumbratus. Uſque adeo aliqua, quæ ſolo ſtatu differunt, vel maximè differunt: ſi nempe ſtatus ipſi inter ſe lon-

longiſſimè diſtent, & caracteribus inſigniti ſint maximè diverſis: ut diverſi certè ſunt maximè caracteres eſse veri, & eſse non veri: quos ex veterum tum Ebræorum, tum Chriſtianorum Zetetarum ſcriptis ſupra exhibuimus. At enim, Dei notio nimis anguſta, atque humilis eſt: Quid eſt Deus? Deus eſt, Veritas hominis: ſic nempe, ut illud ipſum, quod adumbratione eſt in homine, in Deo ſit Veritate. Enimvero & illud anguſtum, atque humile eſt: Quid eſt Deus? Deus eſt hominis cognitio. Et tamen, cum Deus & hominem cognoſcat, & ſuamet ipſe cognitio ſit, nam Deus id quod habet, illud eſt; Catholicorum omnium confeſſione, ac ſententiâ, Deus, hominis cognitio eſt. At non hominis ſolius cognitio. Nec igitur ſolius hominis veritas, ſed rerum omnium; ſed Veritas ipſa per ſe ſubſiſtens, ut loquitur Anſelmus: in qua ſcilicet habent eſſe verum ipſæ illæ rationes, quæ in homine, in angelo, in rebus cæteris habent eſſe adumbratum: & quarum rationum adumbrationes hæ quidem homines, illæ angeli, aliæ alia ſunt, & dicuntur; Veritas autem ipſa eſt, & dicitur Deus. Ut ea ſit propterea Dei notio: *ipſum Eſse*: *ipſa Veritas*. Dei notio, inquam, ut eſt in ſe ipſo, non quidem ad ſeſe, ſed ad nos. Id unum enim & ſibi inquirendum putavit, & aliis declarandum ſuſcepit Schola Zetetica. Plus aliquid ab homine mortali voluiſſe Deum de ſe intelligi negat.

24. Quæres hic tandem, quid nobis videatur de iis Dei definitionibus, quas alii alias paſſim afferunt, & propugnant recentes Scholaſtici. Ejuſmodi illæ ſunt: Deus, eſt Ens a ſe; Ens eſſentialiter optimum: Ens, quo melius eſſe, aut cogitari non poteſt: Ens omni ratione infinitum &c. Equidem, ſi iſti non qualemcumque Dei notionem, rudem, imperfectam, ad vulgaremque hominum captum accomodatam afferre ſe putant; ſed primariam, exactam, quæque, quantum res patitur, definitionis ad Scholaſticam normam directæ, atque elaboratæ locum obtineat; nihil horum probarim. Etenim vel ea vox, *Ens*, apud iſtos, ipſum verum Eſſe ſignificat; vel, ut potius videtur, rationem aliquam exprimit, quæ Deum non ſatis, vel nullo mo-

K do,

do, ipsorum judicio, distinguat a rebus cæteris; ut propterea necesse sit addere particulas illas: A se: Essentialiter optimum: Quo melius esse, aut cogitari non potest: Omni ratione infinitum &c. Si primum eligas; vox illa, *Ens* eandem vim, & significationem habet, ac Zeteticum illud: ipsum Esse: ipsa Veritas: Qui est &c. in quo solo Dei notionem primariam habemus, quæ quidem illum satis claré ab aliis omnibus rebus, quæ Deus non sunt, sejungit, atque discriminat. Et quidquid ipsi additur, omnino redundat, ac certè extra definitionem est, apud sapientes. Sin verò alterum malis; hoc ipsum primò peccant isti, quod in Dei etiam notione communes definitionum leges sibi servandas putant: Deumque prius quasi componunt, immo & confundunt, ac miscent cum rebus creatis, quæ non sunt verè, & propriè; tum aliquid addunt, quod ejus præstantiam significet, ipsumque ab iis omnibus distinguat, atque eximat. Peccant deinde, Zetetarum sententiâ, de his enim non meo sensu, sed ex ipsorum mente judico; peccant, inquam, quod id afferunt loco generis, quo Deus a creatis rebus differt primario: quod autem addunt, & vim habet differentiæ, quamvis caracter sit esse veri, in eo tamen verum ipsum Esse, aut Veritas non disertè exprimitur: quæ tamen notio in definitione Dei apertè, explicatèque proponi deberet, & illico emicare, atque explendescere. At enim Christiani Zetetæ non pauci eam videntur Dei notionem amplexi; ut sit Deus, id quo melius cogitari non potest. Quasi verò notionem illam repudiem, quam Zeteticæ hujus primæ rationis, quam persequor, fundamentum posui. Est oppidò Deus id, quo nil melius cogitari potest: nil melius autem, nil altius, atque augustius, Deoque dignius cogitari posse Zetetæ judicant, quam ipsum Esse, ipsamque Veritatem.

25. Sequitur altera vetustioris Scholæ Zeteticæ ratio, huic quidem ipsi valde conjuncta, sed quæ rem paulo magis declarat. Scio, Christianos aliquos Patres, ut ipsum Esse nobis describerent, quod sese extra se ipsum quodammodo fundit in res omnes creatas, usos aliquando similitudine fon-

fontis, qui se ipso *omnia impleat*: sic enim ait Augustinus Conf. l.1.c.3. n.3. ex quo hauriat quidquid aliquid est: &, quantum quodque hauriat, tantum sit: *neque enim*, ait idem c.6. n.10. *ulla vena trahitur aliunde, qua esse, & vivere currat in nos*. Verùm, si res rectè consideretur, similitudo hæc, Augustini ipsius judicio, a vero duobus potissimum deficit. Etenim non ita se ipsum Esse nobis impertit; non ita vitam, scientiam, libertatem, aut aliam quampiam perfectionem cum re ulla communicat, atque participat; ut aut sibi detrahat, quod alteri donat; aut aliquid unquam donet ejusdem modi, & rationis, atque illud ipsum, quod habet in sese: sic nimirum, ut partem aliquam veri, germanique esse ex ipso res creata ulla percipiat. *Creatura ita esse dicitur ex Deo, ut non ex ejus natura facta sit. Ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum auctorem habet, ut sit; non ita, ut ab illo nata sit, vel processerit; sed ab illo creata, condita, facta sit*: ait Augustinus lib.2. de anim. & ejus orig. c.3. n.5. Quod contra contingit in fonte, vel fluvio: ex quibus quidquid bibitur, & ipsis decedit, & ejusdem generis est, atque illud, quod remanet. Rei hujus igitur exemplum longè aptius ex similitudine statuarii capiebant vetustiores Zetetæ: scilicet id illis relictum a Mose ipso Scholæ Principe Gen. 2. 7. iis verbis: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*. Nec verò ita proprium est Ebræorum, ut non usurpatum sit sæpenumero a Christianis etiam doctoribus: nominatim autem ab Augustino, qui, quod peccare diximus similitudinem fontis, corrigit similitudine artificis. Sic l.2. de Act. cum Felice Manich. c.20. *Et nos*, inquit, *didicimus, quia anima ex Deo est, sed non est pars Dei. Sic est enim anima ex Deo, quomodo factura ex artifice; non de Deo, sicut filius de Patre .... Non est ex Deo, tanquam pars ejus, vel tanquam proles ejus; sed ex Deo, vel a Deo facta est, tanquam opus ejus &c.* Quare summum rerum omnium Auctorem cum cogito, non fontem, sed statuarium potius mihi propono: puta Phydiam, aut Praxitelem aliquem, qui effector idem, & exemplar operis sui, se ipsum modo quidem cera, & luto; modò autem

ære, & marmore exprimat. Hoc enim summus Opifex fecit, cum Angelum, & Hominem condidit: in altero quidem quasi ceræ, & luto; in altero autem æri quodammodo, & marmori suam imaginem consignavit. Porro, quemadmodum Statuarius non ex se desecat, & abscindit quidquid sui & luto, & marmori donat; ac quamvis idem Phydias sit & in statua, & in se ipso; aliter tamen est in statua, ac sit in se ipso; siquidem in se ipso vivit, sentit, intelligit; in statua verò quiddam est rationis, ac sensus expers, & prorsus inanimum; sic ipsum Esse nec sibi eripuit quidquid sui & Homini, & Angelo dedit; nec, licèt ex Ipso sit, & in Ipso quidquid est & Homo, & Angelus; quod tamen illi sunt, est in illis ejusdem modi, & rationis, atque est in Ipso: quoniam in Ipso *vita est*, ut ait Jo. 1. 4. hoc est, ut Patres interpretantur, Esse æternum, necessarium, immutabile: in illis verò quædam quasi *mors est*: nempe, ut iidem Patres intelligunt, Esse temporarium, contingens, mutabile. Porro ex his promptum est, quid iis respondeas, qui supra ita concludebant: Homines, & Angeli verè sunt ab ipso Esse; verè igitur sunt. Nempe ipsum Esse sese illis impertit, non ut fons vasi, sed ut argillæ, & marmori statuarius. Ita, sicuti Phydias ille, aut Praxiteles, de quo proximè memorabam, in ea materia intelligentiæ, sensus, ac vitæ omnis experte non se ipsum propriè, ac verè, sed suam dumtaxat imaginem imprimit; veri autem Phydiæ, & Praxitelis vera imago, Phydias, & Praxiteles est falsus; sic etiam ipsum Esse, cum Hominum, & Angelorum naturæ mutabili, temporariæ, finitæ dedit, ut esset, non se ipsum verè, & propriè, partemve aliquam sui in illam transfudit: similitudinem sui tantùm referre voluit: veri autem esse vera similitudo verum esse non est. Quare dictum sapienter a Scriptore de cogn. ver. vit. supra cit. *Deus solus verè est, & ideo veritas est ... Creatura autem ei collata, quasi falsitas ad veritatem*. Atque ille propterea, qui ita concludat: Homines, & Angeli sunt verè similitudo aliqua ipsius Esse, sunt igitur verè; non minus peccet, quàm qui concludat hoc pacto: homines lutei, & homines mar-

marmorei sunt verè similitudo aliqua hominis; sunt igitur verè homines. At enim duo illa epitheta, *luteus*, & *marmoreus*, notiones, sive, ut Logici loquuntur, *termini* sunt *distrahentes*, qui appositi ei nomini *homo*, ab eo significationem veri hominis continuò removent, & alienant. Benè est: *Contingens* etiam, *mutabile*, *temporarium*, *finitum*, ut Patres, & Sacræ literæ docent, termini sunt distrahentes, verique esse rationem omnem ita inficiunt, ac vitiant, ita prorsus alienant; ut ei termino adjuncti, qui esse significat, eum illico a significatione prototypi ad significationem imaginis, a *Veritate* ad *Falsitatem* traducant. Deus enim solus vere est, & ideo Veritas est. Creatura autem ei collata, quasi Falsitas ad Veritatem. Ex quibus omnibus tota demum in aperto est Zeteticæ Hypothesis ratio: quæ, cum solus Deus sit propriè, ac verè, in eoque sint omnia; Esse unicum ponit, ejusque duos veluti status, primum rei, & veritatis; adumbrationis, & similitudinis alterum: tum, quod est consequens, Deum definit, Esse ut est in se ipso, scilicet Veritatem: Creaturas autem, Esse ut est extra se ipsum, hoc est, non verum Esse, sed Esse veri similitudinem, imitationem, adumbrationemque.



SYSTE-



SYSTEMATIS

PARS ALTERA.

PROPOSITIO I.

Deus est Unus.

1. HEC ipsa est Zetetica Hypothesis, unicum Esse: extra quod quidquid est, ejus imitatio tantummodo aliqua, atque adumbratio est. Deus autem, ut positum est, est ipsum hoc Esse, ut est in sese, re, & veritate: unicus est igitur, vel ipsa Hypothesi. Demonstrant tamen Ebræi Zetetæ, nisi malè interpretatus sum libros illos Cabbalisticos, atque Symbolicos, quorum initio memini; etiam hoc pacto. Si plures essent Dii, propria cujusque foret aliqua, vel specifica, vel numerica differentia: unus certè non esset alius: ergo Deus non esset ipsum Esse, vel Est, solutum, exemptumque omnibus modis, ac differentiis, quibus contrahitur, illigaturque extra se ipsum: &, quoniam in eo esset *Est*, & *Non*, non satis rectè appellaretur, *Qui est*: quæ omnia sunt contra Hypothesim.

2. Ebræis hac etiam in re mirè consentiunt Zetetæ Christiani Boethius in lib. de Trin. *Ubi nulla est differentia; nul-*

nulla est omnino pluralitas: quare nec numerus: igitur unitas tantùm. Damascenus etiam l.1. de Fid. c.5. Deum unum probat, *quia in ipso nullum discrimen, quo hoc sit, & illud non sit*. Richardus pariter l.2. de Trin. c.19. *Ubi differentia nulla est, pluralitas omnino rectè dici, sive inveniri non potest.* Eadem ferme ratione usus D. Thomas 1.p. q.11. art.3. & 4. quibus articulis Deum probat unum, & maximè unum, quia nimirum, *comprehendit in se totam perfectionem essendi, & est ipsum Esse subsistens omnibus modis indeterminatum*. Mitto alia argumenta, quibus utraque Investigationis Schola, Ebræa, & Christiana Deum unum esse demonstrat. Hujuscemodi est ratio primi Principii, atque ultimi Finis: quæ duæ sunt ipsius Esse perspicuæ proprietates: cum sit Centrum totius: idest, ex quo omnia, & ad quod omnia. Sed quotquot ex ea duplici ratione peti argumenta possunt contra Ethnicos, & non paucos etiam Hæreticos, qui plures Deos esse dixerunt, inveniuntur etiam apud recentes Scholasticos: communia sunt enim Scholæ omnis Catholicæ.

3. Illud Scholæ Zeteticæ proprium, & peculiare: Deus est Totum extra Totum, sive Omnia supra Omnia: Creaturæ autem Totum ex Toto, seu Omnia ex Omnibus: Deus Totum Veritatis; Creaturæ, Totum adumbrationis: Deus Omnia ut in Unitate, & in Centro; Creaturæ omnia ut in numero, ac sphæra: Quemadmodum igitur Totum ex Toto, seu Totum adumbrationis non est, nisi unum, nam si plura essent, nullum eorum Totum esset, quia ultra totum nihil est; sic eadem prorsus ratione Totum extra Totum, seu Totum exemptum, quod est Totum Veritatis, non est, nisi unum. Ac sicuti numerorum omnium, radiorumque, idest, rerum creatarum collectio, complexioque non est nisi una, nam si plures essent, nulla constaret ex omnibus; sic omnium Centrum, atque Unitas, quod est ipsum Esse, & Veritas, non est nisi una. Ita, & paulo quidem obscurius Zetetæ veteres. Eandem rationem amplexi sunt Patres: vide Irenæum lib.2. c.1. Tertullianum lib.1. adv. Marcion. c.3. & 5. Auctorem libri de Trin. apud eundem Tertul. c.4. Lactantium lib.1. Inst. c.3. Prudentium in Hamartig. Gre-

go-

gorium Nyſs. in prolog. libri Catechet. Boethium Prof.10. Anſelmum Monol. c.3. & 4. Immo, ſi rem ſpectes, idem ſequuti Theologi etiam de Schola: neque enim aliud ſignificat, quod habet D. Thomas p.1. q.11. art.3. *Deus comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi .... impoſſibile eſt ergo eſſe plures Deos*. Lege præterea lib.1. con. Gent. c.22. n.1. & 2. ubi eadem ferme repetit: tum alios omnes Theologos, qui ſcholaſticis etiam rationibus hoc Fidei dogma tutantur.

PROPOSITIO II.

Deus eſt omnino ſimplex.

4. ID eſt ſimplex eſſe aliquid, carere compoſitione, partibuſve, quæ nexæ, & copulatæ invicem unum quidpiam efficiunt: totidemque modis ſimplex quodque dicitur, quot ſunt compoſitionis, ſeu partium genera, quibus caret; ut nullum prorſus compoſitionis, ſeu partium genus in eo eſſe poſſit, quod ſimplex omnino ſit. Quamobrem S. Thomas, qui p.1. q.3. ſex ipſis articulis, totidem compoſitionis modos a Deo removet; ſeptimo tandem ita concludit. *Cum in Deo non ſit compoſitio, neque quantitativarum partium, quia corpus non eſt; neque compoſitio formæ, & materiæ; neque in eo ſit aliud natura, & ſuppoſitum; neque aliud eſſentia, & eſſe; neque in eo ſit compoſitio generis, & differentiæ; neque ſubjecti, & accidentis; manifeſtum eſt, quod Deus nullo modo compoſitus eſt, ſed eſt omnino ſimplex.*

5. Compoſitio quidem ex genere, ac differentia, ut ab hac incipiam, quæ levior videtur, in noſtro hoc Syſtemate locum habere non poteſt. Id autem peculiare contra ipſam ex Schola Zetetica aſſerimus: ut totum, quod eſt, nihil, niſi unum, idemque verum, ac proprim eſſe dicamus, ſed quaſi in duplici ſtatu: in ſe ipſo quidem re, & veritate; extra ſe autem imitatione, & adumbratione tantummodo aliqua. Cumque alii paſſim Theologi principiò ita dividant:

Ens

Ens aliud est finitum, aliud infinitum: aliud Contingens, aliud necessarium &c. Schola Zetetica verum ens unicum statuit, ac quidquid est extra ipsum, id non ens verum, sed entis imitationem, ac similitudinem dicit. Consequens est autem nihil esse, quod de Deo, & Creatura dicatur univocè, aut rationem generis habeat; si vel ipsa entis notione, quæ alias omnes anteit, & in quam, ut ait Maximus sup. cit. *primo statim incubitu mens intendit*; inter se differunt tanquam verum a falso. Atque hoc illud est, quod Zetetæ Deum definiunt, *Esse ipsum*: nota enim illa, sive, ut Logici loquuntur, Syncategorema, *ipsum*, non duo quædam ejusdem generis, sed verum a falso discriminat, & quorum nomen est idem, ratio autem, notioque subjecta nomini, planè diversa. Sic Mosem ab ejus simulacris rectè distinguas, si de illis quidem dicas, hic est Moses æreus, ille Moses marmoreus; dicas autem de vero Mose, hic est Moses ipse. Ac rectè pariter Deum distinguas a rebus creatis, si de iis dicas, hic est homo, ille Angelus &c. de Deo autem, Est, vel Esse ipsum affirmes. Rectè igitur Zeteta sæpe cit. postquam solum Deum verè, & propriè esse docuit, ita conclusit: *omnis creatura ipsi collata, quasi falsitas ad veritatem*. Veri autem, & falsi, ut talium, nulla communis est notio: nulla igitur in Deo compositio, quam Generis vocant: nam ratio Generis in notione communi pluribus specie differentibus posita est.

6. Jam verò, quemadmodum Schola Zetetica statuæ similitudine Deum ejus compositionis exepertem declarat, quæ est ex Genere, & Differentia; sic alia quinque compositionum genera ab eo removenda docet similitudine Centri, atque Unitatis. Deus, inquit, est Unitas, ac Centrum Totius: seu Totum extra Totum: Totum maximè exemptum: Unitas autem, qua ratione Unitas est; partibus caret, in partibus enim quidam numerus est: Centrum similiter, qua ratione consideratur a Mathematicis, ac Centrum habetur; partibus caret, in partibus enim latitudo est, atque ambitus quidam: cum igitur Deus omni prorsus ratione sit Unitas, ac Centrum, Unitas enim est, ac Centrum Totius;

 sequi-

ſequitur, ut omnibus omnino partibus careat, ac ſimpliciſſimus ſit. Id ipſum iiſdem metaphoricis notionibus ita conficit. Priora ſunt Centrum, atque Unitas, quam radius, & numerus: neque enim ex radio Centrum, aut Unitas ex numero: ſed contra progreſſiones quædam ſunt & Centri radius, & numerus Unitatis. Simplex eſt igitur omnino Deus: nam, ſi partes haberet, iis poſterior eſset aliquo pacto: cumque idem, ex Hypotheſi, Centrum ſit, atque Unitas rerum omnium, poſterius quiddam eſsent & radio Centrum, & Unitas numero. Rationem hanc Scholæ Zeteticæ adoptarunt antiqui Philoſophi: Alcinous cap. 10. *Caret*, inquit, *partibus*, *eo quod nihil ipſo eſt anterius*. *Etenim pars*, *& id*, *ex quo aliquid conſtat*, *prius eſt eo*, *cujus eſt pars*. *Nam ſuperficies prior eſt corpore*, *& linea prior ſuperficie*. Simplicius pariter in Comment. ad Enchir. Epicteti ſub initium. *Neceſſe eſt*, inquit, *id*, *quod primum eſt*, *ſimpliciſſimum eſſe*: *quoniam quidquid ullam compoſitionem habet*, *& multitudinem*, *uno poſterius eſt*. Antiquiſſimis Ebræorum Doctoribus conſentiunt de more Chriſtiani Zetetæ: Origenes lib. 1. periarch. c. 1. *Deum*, inquit, *qui omnium eſt principium*, *compoſitum eſſe non eſt putandum*: *ne forte priora illo principio inveniantur elementa eſſe*, *ex quibus compoſitum eſt omne*, *quidquid illud eſt*, *quod compoſitum dicitur*. Ambroſius itidem tract. in Symbol. c. 1. ita ſcribit: *Qui compoſitus eſſe non poteſt*, *cum aliqua eo anteriora præextitiſſe putari nefas ſit*. Cyrillus etiam Theſ. XIII. *Cum ante principium nihil cogitari queat*, *nulla ex parte continget illi*, *ut ſit compoſitum*: *quandoquidem compoſita quidam efficit ſimplicium concurſus*. Porro his omnibus congruit, quod prima parte Syſtematis ex Dionyſio tradidimus: ipſum Eſſe nimirum rerum omnium antiquiſſimum: eſse illud quodammodo Centrum, atque Unitatem rerum omnium: quo autem quæque res longius ab Unitate, vel Centro, quod eſt ipſum Eſse progreditur; eo minus ſimplicem eſse, magiſque multiplicari, & diſtingui.

7. Eadem Schola Zetetica, remotis etiam ſymbolis omnibus, & planè extra metaphoram, ita rem demonſtrat. Ipſum Eſse, eſt id quod eſt: id enim ſignificare videtur, quod

quod Deus de se dixit, Ego sum, qui sum: atque is est veri esse caracter, ut sit nempe, id quod est: nam si non esset, id quod est, aliquid in se ipso falsitatis haberet; in eoque foret Est, & Non, ut est manifestum. Est ergo ipsum Esse id quod est: tale autem non esset, si quoquomodo in se ipso compositum foret: nullo modo igitur in se ipso compositum est. Non esset, inquam, id quod est, si quoquomodo in se ipso compositum foret: siquidem omnis compositio duabus saltem rebus, seu partibus perficitur: quarum alterutra neque est alia, neque compositum ipsum. Sic corpus neque anima est; neque homo, qui ex ambobus componitur, & ab utroque seorsim accepto distinguitur: &, quòd ita distinguitur, propterea non est id quod est. Secus verò Angelus, cum partibus hujusmodi careat, quod spectat ad hoc tantùm, dici potest aliquo pacto, esse id quod est. Veruntamen, quia ipse etiam, ut docet Dionysius Cœlest. Hier. c.XI. universè dividitur in *substantiam*, *vim*, seu *virtutem*, & *actionem*; ac, licèt materiæ physicæ, atque omnis corporeæ concretionis sit expers; materia tamen non caret analogica, quam vocant; ac multa suscipit in se ipso, quæ non sunt Angelus; idcircò neque ipse est planè id quod est: est enim sapiens, nec quo sapiens est, reipsa est Angelus: sanctus est, nec quo sanctus est, revera est Angelus. Necesse est igitur, eum, qui verè, atque omni planè ratione sit id, quod est, nullo modo compositum esse: nec substantiam modò simplicem, & nullis concretam partibus; sed vim quoque, & actionem a se minime distinctam habere, & ab omni specie, & similitudine materiæ esse quàm remotissimum.

8. Hæc eadem Christianorum Patrum doctrina. Auctor quæst. & resp. ad Orthod. apud Justinum q. 144. *Non ita esse Deum docet, ut sunt creaturæ, ut ex eo quod est, & quod habet, fieri intelligatur aliqua compositio, sed esse ipsum, & habere compositionem omnem excedere*. Clemens Alex.l.1.Pedag. c.8. *Non illum dici bonum esse, quòd virtutem habeat ... est enim virtus ipsamet &c.* Hilarius lib. 8. de Trin. *Non enim humano modo ex compositis Deus est: ut in eo aliud sit, quod habetur ab eo, & aliud sit ipse, qui habeat: sed totum, quod est*

vita est. Verùm doctrinam istam nec clariùs expressa est ab ullo, nec frequentiùs usurpata, quàm ab Augustino. Tract. 20. in c. 5. Johann. n.4. *Homo aliud est, quod est, aliud quod potest ... Deus autem, cui non est alia substantia, ut sit, & alia potestas, ut possit, sed consubstantiale illi est, quidquid ejus est, & quidquid ejus est, est quod est &c.* Tract. 48. in c. 10. n. 6. *Quomodo vita Filius, & habens vitam Filius? Quod habet, hoc est: tu aliud es, aliud habes &c.* Tract.99. in c.16. n.4. *Non est ista substantia verissimè simplex, cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse, nec nosse. At illa divina non potest, quia id quod habet, est &c.* Serm.341. de eo quòd Christus &c. *In Deo autem omne quòd dicitur, idipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas &c.* lib.8. de Civit. c.6. idem sensisse Platonicos ait, eosque eo nomine dilaudat. Lib.xi. c.10. n.1. *Ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est &c.* & n.2. *Propter hoc itaque natura dicitur simplex &c.* Eadem lib. 5. de Trin. c. 10. n. 11. Eadem lib. 6. c. 4. n. 6. Eadem c. 7. n. 8. c. 10. n. 11. & lib. 7. c. 6. n. 11. tum lib. 8. n.1. & lib. 15. c. 5. n.7. & 8. Denique c.13. n.22. c.14. n.23. aliisque in locis quam pluribus. Præclarè etiam Boethius in lib. de Trin. & Unit. Dei ad Symmach. *Divina*, inquit, *substantia sine materia forma est, atque ideo unum, & est, id quod est: reliqua enim non sunt id, quod sunt.* Reliqua cum dicit, Angelos etiam intelligi vult: in quibus, etsi non vera materia, materiæ tamen est aliqua similitudo: subjungit autem. *Unumquodque enim habet esse suum ex his, ex quibus est, idest, ex partibus suis: & est hoc, atque hoc, idest, partes suæ conjunctæ, sed non hoc, vel hoc singulariter: ut, cum homo terrenus constet ex anima, & corpore; corpus, & anima est: & non vel corpus, vel anima. Igitur in parte non est id, quod est: quod verò non est hoc, atque hoc, sed tantùm est hoc; illud verè est, id quod est ... Quo circa hoc verè unum, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præter id quod est &c.* Vide & duos Romanos Pontifices, Doctoresque præstantissimos Leonem ep.93. & Gregorium lib.18. Moral. c.27. Cassiodorum lib. de anim. c.9. Anselmum Monol. c.16. & alios deinceps. Luculentissimum autem est illud Bernardi l.5. de Consid. *Si bonum, si magnum*,

magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris, nihil addisti: si non dixeris, nihil minuisti &c. Hæc Patres ex Schola Zetetica, quæ a Mose ipso, & Prophetis edocta, prior hæc tradidit. Nec verò hæc tantùm, sed alia etiam, quibus Deum omnis planè compositionis expertem alii Patres ostendunt. Ostendunt autem Tertullianus l.2. cont. Marc.c.6. Gregorius Nyssenus 1.cont. Eunom. Author quæst. & resp. ad Orthod. q. 129. Hilarius l.9. Cyrillus Alex. l. 1. in Joh. c. 9. Richardus Victor. 1. de Trin. quòd Deus est a se ipso, & sibi plenè sufficiens. Athanasius orat.5.cont. Arrian. Maximus M. in Scholiis ad c. 7. Dionys. Anselmus in Prosol. c. 18. Hugo Vict. l. 7. erudit. Theol. c. 19. quòd Unus. Athanasius idem eodem in loco, Albinus Flaccus l. 1. de Trin. c.10. Richardus Vict. l. 2. de Trin. c. 17. quòd æternus, nec mutabilis. Maximus M. idem apud Euthim. part. 1. tit. 2. & Ephræmius Anthiochenus apud Photium cod. 229. quòd infinitus. Ambrosius denique l.1. de Fid. c.7. Hilarius l.9. Bernardus l.5. de consid. c. 7. quòd optimus est: quòd ipso ne fingi quidem potest quidquam, cogitarique perfectius. Quæ omnia a veteri etiam Schola Zetetica dicta sunt: sed eadem fortasse ab Ebræis recentioribus tam perplexis fabularum nodis implicata; tot symbolorum involucris obsepta sunt; vix ut tandem evolvi, atque explicari potuerint.

9. Verùm quæret hìc aliquis; ecquid, cum repellamus a Deo compositionem illam, quam cogitatio nostra efficit ex genere, & differentia; non idem nobis de illa pariter videatur, quæ mentis nostræ operatione fit ex natura, & proprietatibus? quippe, esto sit ista levior, ut illa tamen ejus compositionis similitudinem aliquam refert, quæ est in rebus corporeis, ex materia scilicet, & forma; ità hæc eam compositionem quodammodo adumbrat, & imitatur, quæ reperitur in iis etiam, quæ corpore carent, fitque ex Substantia, & Accidente. Respondeo, nobis ideo non idem videri, de compositione generis, & differentiæ; ac de illa,

seu

seu compositio, seu meliùs progressio sit nuncupanda, quæ cogitando fit ex natura, & proprietatibus; quia Zetetica Hypothesis quàm planè pugnat cum prima; tam rectè cohæret cum secunda. Cum enim Totum bipertitò dividat, non in duo Esse, sed in duos potius ipsius Esse veluti status; statum nempe ejus, ut est in se ipso, & ut extra sese; statum immobilitatis, ac progressionis; centri, ac sphœræ; unitatis, ac numeri; &, quod facit ad rem præsentem, veritatis, & falsitatis; rei, atque umbræ; sicuti Deum nulla notione confundit cum rebus creatis, quæ *ipsi collatæ, sunt, quasi falsitas ad veritatem*; ita esse veri, & esse falsi certos quosdam caracteres, notas, insignia, ac veluti qualitates designat, quas philosophi vulgò proprietates, atque accidentia metaphysica appellant. Et profectò Patres, qui *genus ullum in Deo nominare a recta ratione alienissimum, judicant: quòd Ens de Deo tantum verè, & propriè dicitur; ad reliqua per abusionem traducitur*. Cyrillus Alex. loc. sup. cit. iidem in Deo proprietates agnoscunt, & a natura ipsa cogitando distinguunt. Marius Victorin. l.2. adver. Arri. *Nempe dicitis Deum, & eundem dicitis lumen: quid dicit ista vox? substantiam dicit Dei: nam, quæ dicit patrem, vel omnipotentem, vel bonum, vel infinitum, vel talia, non substantiam, sed qualitatem dicit*. dictum accipe de qualitate non physica, sed metaphysica. Titus Bostrensis 1.cont.Manich. *Etsi non decet nominare in Deo qualitates; esse tamen prius est quodammodo cogitatione, quàm talem esse*. Athanasius disp. 1. adv. Arrian. *Hic autem ipse Dominus, secundùm animi cogitationem* λόγος, *id est ratio dicitur, propter illa, quæ ratione prædita sunt: & itidem, secundùm animi cogitationem*, κατ' ἐπίνοιαν, *sapientia dicitur, propter illa, quibus impertitur sapientia*. quo loco probat, unam, eandemque simplicissimam rem, nullo modo in se ipsa distinctam, propter varias efficientias, distingui κατ' ἐπίνοιαν, idest, cogitatione. Gregorius Naz. orat. 45. ad Evagr. aliis nominibus alias Dei proprietates exprimentibus non plures res, sed unam, eandemque subiici docet: atque hominis esse, ait, maximè rudis, atque habetis, pro notionum, ac nominum varietate, plures quodammodo naturas

turas suspicari. *Individuam, & simplicem esse, & impartibilem Dei substantiam: caeterùm ad salutis animarum nostrarum utilitatem, partitionem quoque propter appellationes subire, & divisionis necessitati subjici.* Orat. autem 34. proprietates, ac virtutes ex rebus creatis desumptas, non antea Deo tribuendas docet; quàm quod in iis crassum, & imperfectum est, omne repurgetur: ex omnibus autem sinceras quasdam notiones exprimendas: ut cùm universa, tum singula intelligantur in Deo sine ulla compositione. *Sic Deus appellatur, & est*, inquit, *lux, charitas, sapientia, justitia, mens, ratio &c.* Quæ in illo tamen non sunt qualitates aliquæ, & affectiones, ut in nobis: *sed ab his abscedendum, ut numen ipsum sejunctum, quoad ejus fieri potest intueamur; particularem quamdam speciem è simulacris colligentes.* Id per quam aptè declarat Basilius frumenti similitudine, qua usus est Maximus etiam in dial. 1. de Trin. qui falsò inscribitur Athanasio. Sic autem Basilius 1. cont. Eunom. *Frumenti simplex quidem notio omnibus inest, qua, simulatque in oculos incurrerit, illud agnoscimus. Adhibito verò diligentiore illius examine, plurium occurrit consideratio, appellationesque variæ, quibus res cogitatæ significantur. Nam idem frumentum modò fructum vocamus, modò semen, ac rursus alimentum. Fructum quidem, tanquam finem antecedentis agriculturæ; semen verò, tanquam futuræ initium: alimentum porro, tanquam aptum ad incrementum comedentis corpori præstandum. Horum, quæ dicuntur, unumquodque, & secundùm intelligentiam spectatur, & cum linguæ strepitu non transit.* Nempe idem triticum, etsi res una sit; & suo modo simplex; variè consideratur a nobis: ut & fruges est e terra nata, & semen, & hominis alimentum: pro qua multiplici consideratione, varia etiam nomina existunt, quæ vocis sono non tantum differunt, sed quibus sua cuique notio subjicitur. Quod contra pugnabat Eunomius, eaque, quæ κατ' ἐπίνοιαν, hoc est, cognitione, & intelligentia dividimus, solo constare verborum sono, cum eoque dissolvi, atque evanescere dictitabat: neque quidquam illis in re ipsa respondere solidum, ac verum. Quare Basilius lib. cit. ea non solis vocibus, sed etiam notionibus differre demonstrat:

ſtrat : ut Ingenitum , Immortale , Infinitum , quibus diſtinctæ rationes obiiciuntur, quas eſſentiam ipſam dicere, pro ridiculo habet. *Quî enim*, inquit, *ridiculum non eſt , ſi quis procreandi vim ipſam eſſe dicat eſſentiam? aut providentiam rurſus eſſentiam? itidemque præſcientiam? ac denique efficientiam omnem , eſſentiam eſſe ſtatuat? Quòd ſi omnia iſta ad unum ſignificatum pertineant , neceſſe eſt , ut idem inter ſe valeant nomina , ut polyonymis evenit : cum Simonem , & Petrum, & Cepham eundem hominem dicimus*. Pergit porro in eandem ſententiam : ſed & l. 2. Eunomium refutat , quòd aſſereret, fore Deum in ſe ipſo compoſitum , ſi nomina illa varia , & diverſa , veluti Lumen , & Ingenitum , non idem omnino ſignificarent , aut quidpiam præter eſſentiam exprimerent? Reſpondet verò Baſilius, eſſentiam ipſam Dei unam , individuam eſſe, & compoſitionis omnis expertem : in ea verò notas quaſdam, proprietateſque ſpectari. *Proprietates*,inquit,*& notæ , ſeu caracteres quidam , ac formæ , quæ in ſubſtantia conſiderantur , dividunt quidem id, quod eſt commune, propriis notis: at communionem ſubſtantiæ non interrumpunt*. Tum lib. de rect. Fid. *Si quis* , inquit , *Deum dicat , nondum Patrem ſignificavit , & Patris dictione non comprehenditur Conditor : rurſus & in iſtis deſideratur bonitas , potentia , & , quæ in ſcriptura ſacra , reliqua feruntur*. Scilicet omnia ad intelligentiæ noſtræ modum exigenda ſunt , quæ ſubſtantiam ipſam per ſe ſimplicem cogitat, eique proprias notas , atque formas quodammodo adjungit . Idem contendit in omnibus libris contra Eunom. Gregorius Nyſſ. maximè verò 12. ubi ; docente ſcilicet Eunomio , Divinarum proprietatum notiones ſic implicatas invicem, involutaſque eſſe ; ut,cum unam intelligimus,& alterā intelligamus ; *videtur*,inquit,*neque juſtitiæ ratio ab iis,quæ dicta ſunt, eſſe diverſa* , Eunomii ſententiâ, *neque ſapientiæ , neque virtutis , neque bonitatis , ac cæterorum nominum , quæ dignè de Deo dicuntur*. (Quæ Scholaſtici modò vocant , *Perfectiones puras* , aut *ſimpliciter ſimplices* , Deoque ineſſe *formaliter* docent , ea Græci Patres dixere θεοπρεπῆ , ideſt , *digna Deo*) *ac nulla ſit notio propriâ intellectâ ratione , ſed toti nominum cathalogo una ſit ſubjecta ſignificatio : & uni-*

& unica descriptio singulorum, quæ dicuntur, definitionem impleat. Ac, si interrogeris, quid Judicis nomine significetur; Ingenitum interpretere respondendo: aut, si Justitiæ definitionem reddere oporteat; in promptu tibi sit ad respondendum Incorporei nomen. Quid autem Incorruptibilitas &c. Quòd si hæc Eunomius, tanquam legislator aliquis, edicit; cur Scripturæ frustra divinam naturam variis nominibus appellant? ac Deum judicem, justum, fortem, patientem, verum, misericordem, & id genus alia nominant? Nam, si nullum nomen in aliqua propria notione intelligitur; sed omnia invicem significationum confusione miscentur; inanis &c. Deinde Catholicam sententiam magis explicat: *Quis ita stupidus est, ait, ut ignoret Divinam quidem naturam, quidquid tandem, secundùm essentiam est, esse unam, & uniformem, atque compositionis expertem .... humanam verò animam humi jacentem, & in terreno defossam corpore, quoniam non potest, quod quæritur, liquidò perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diversè, ac multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione, quod latet, indagantem?* Ut unius, & ejusdem esse simplicissimi cogitatio est multiplex, sic varia a nobis nomina imposita, dicit, quæ propriam cujusque cogitationis rationem exprimant: *non ita, ut cum notionibus istis subjectum discindamus pariter: sed ita, ut illud, quodcunque tandem est, unum esse credentes, iis omnibus notitiis quod intelligitur affine esse putemus. Non enim &c.* Chrysostomus verò orat. 1. de Incomprehens. sapientiam ab Essentia, vel substantia distinguit. *Nam Prophetas*, ait, *non solùm ignorasse, quæ sit essentia Dei, sed etiam, quanta sit ejus sapientia. Atqui non ex sapientia est essentia, sed ex essentia sapientia &c.*, & Homil.73. in Johan. ad illa verba, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum; videamus*, inquit, *præterea, quid nam Philippus intueri velit. An sapientiam Patris? An verò bonitatem? Minimè: sed hoc ipsum, quid tandem sit Pater, ipsam, inquam, essentiam.* Omnium disertissimè Cyrillus Alexan. qui Thesaur. XI. 1. ex Eunomianorum persona hæc sibi objicit. *Ingenitum*, inquiunt, *nomen aut essentiam Dei ostendit, aut accidens ei aliquid significat, accidens autem Deo*

M *nul-*

nullum inesse potest: perfecto enim ex se ipso nihil accidere potest: ipsa ergo substantia Dei significatur Ingeniti nomine. Tum hæc ita refellit, ut concedat, *nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est: sed tamen cogimur*, inquit, *nonnunquam quasi accidentia, etiamsi non omnino accidant Deo, hæc dicere, & mente accidentium modo concipere*: & paucis interjectis, *si igitur*, inquit, *multa hujusmodi sunt, quæ quasi accidisse Deo videntur, cur frustra contendistis, nullo modo Ingenitum accidere Deo dici posse, cum multa in essentia ejus, quasi accidentia esse conspiciantur?* Tandem ita concludit. *Non omnia ergo, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur, ut voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus. Non enim potest humana natura majus aliquid, quàm ipsa concipere possit, de Deo dicere. Nostro enim proprio modo intelligimus, & loquimur, ex iis, quæ in nobis sunt, quasi per exempla, majora, hoc est, Divina intelligentes: sicut, qui in minima charta Cœlestem circulum describunt*. Legatur hoc integrum caput ab ipso initio: ibi enim expressè docet, uti alii etiam omnes veteres Patres, qui Anomœorum temeritatem, & amentiam confutarunt, docet, inquam, rationem Ingeniti, seu, quod idem ferme est, Entis a se, *non esse essentiam, sed modum, ac veluti qualitatem, cum, non quid natura sit Deus; sed modum quo est, vel potius, quo non est, ostendat*. Ac ne plura proferam Patrum testimonia, sunt enim innumerabilia, postremum illud adiiciam, quod est in lib. de proces. Spir. sancti, quem scripsit contra Græcos, populares suos Demetrius Cydonius eruditus Theologus: ibi enim cap. 5. cum dixisset Divinas proprietates & a se mutuò, & ab essentia differre λόγῳ, & ἐπινοίᾳ, *ratione*, & *cogitatione*, sic istud explicat: *Deus dicitur substantia, & sapientia, &, si quid aliud est hujusmodi: sed non ideo, quia nomina sunt diversa, res etiam diversas significant: ita enim multiformis, & dissimilibus constans partibus, & compositus esset. Verùm, quia non potest natura nostra uno nomine illud ipsum, quod Est, utcunque declarare; idcirco variis, & differentibus vocabulis illud diversè nominamus: ita ut differentia in solis considere-*

re-

retur nominibus, *ac secundùm rationes iis subjectas*. *Verbi gratia*, *quatenus substantiæ ratio*, *est per se subsistere*: *sapientiæ verò*, *ut sit cognitio Divinarum*, *humanarumque rerum &c.*

10. At enim Patres aliqui, præsertim verò Augustinus a Dei Simplicitate alienum putant proprietates a natura, vel sola cogitatione distinguere: sic enim habet l.6. de Trin. c.4. n.6. *Deo hoc est esse*, *quod est fortem esse*, *aut justum esse*, *aut sapientem esse*, *& si quid de illa simplici multiplicitate*, *vel multiplici simplicitate dixeris*, *quo substantia ejus significetur*. Ita Leo in ep. ad Turib. ita Isidor. l.7. Orig. c.1. aliique plures. Verùm adversùs hæc omnia facilis est, & valde plana, atque expedita defensio: Patribus his propositum erat, a Deo, ut Compositionem, sic etiam Distinctionem excludere, non quæ τῷ λόγῳ, sed quæ τῷ πράγματι, hoc est, non rationis, sed rei. Liquet id cùm de aliis omnibus, tùm verò præcipuè de Augustino, qui cum proprietates, & essentiam, unum, idemque esse dicit, manifestè loquitur de Deo, non ut est in mente nostra, sed ut est revera in se ipso. Tract. enim 99. in Johan. n.4. docet, *mentem nostram*, *quia mutabilis est*, *percipere discendo*, *quæ nesciebat*, *& amittere dediscendo*, *quod sciebat*. *Et ideo non est*, inquit, *ista substantia verissimè simplex*, en simplicitati quid putet officere, *cui non hoc est esse*, *quòd nosse*: *potest enim esse*, *nec nosse*. *At illa Divina non potest*, *quia id*, *quod habet*, *est*. *Ac per hoc non sic habet scientiam*, *ut aliud illi sit scientia*, *qua scit*, *aliud essentia*, *qua est*: *sed utrumque unum est*. *Nec utrumque dicendum est*, *quod simpliciter unum est*. *Sicut habet Pater vitam in semetipso*, *nec aliud est ipse*, *quàm vita*, *quæ in ipso est*. Ac vide, quàm non neget, posse ista cogitando distingui: de Patre ita loquitur l.7. de Trin. c.6. n.11. *Substantia Patris ipse Pater est*: *non quo Pater est*, *sed quo est*. Et c.4. n.9. *Aliud est Deo esse*, *aliud Patrem esse*, *vel Dominum esse*. Immo l.6. c.6. n.8. fatetur Dei multiplices esse notiones, *magni*, *boni*, *sapientis*, *beati*, *veri*, *& aliorum omnium*, *quæ non indignè dici videntur*, modo illud teneatur, *in Deo non aliud beatum esse*, *& aliud magnum*, *aut sapientem*, *aut verum*, *aut bonum esse*, *aut omnino ipsum esse*, scilicet idem omnia. Id ipsum

clariùs explicat l.15. a cap.6. in quo concedit, hæc omnia, qui noster est intelligendi modus, *secundùm qualitatem dici, esse autem unam, eandemque rem*.

11. Verùm quo penitus id, quodcunque nobis objectum est, concidat, duo sunt, ut rectè animadvertit Dionysius Petavius Theol. Dogm. t.1. l.1. c.8. vitiosi erroris extrema ei, qui de Divinis perfectionibus, & proprietatibus rectè sentire, & loqui velit, peræquè vitanda: alterum eorum, qui nihil, ne cogitatione quidem, & intelligentia nostra; alterum eorum, qui nimiùm, ideſt, re ipsa eas differre volunt, cùm a se invicem, tum a natura, & essentia. Primus in Aetio, Eunomioque notatus, & damnatus est a Patribus: ii enim attributa omnia, quæ de Deo prædicantur, bonitatem, sapientiam, potentiam; ac multo magis, quæ in Personis relativa sunt, ut ἀγεννησίαν in Patre, nullo modo discrepare putabant ab essentia, ne cogitatione quidem. Secundus error, huic planè oppositus, fuit, primùm Athenagoræ Christiani philosophi, qui in Orat. pro Christian. M. Aurelio, & L. Commodo Imperatorib. inscripta, bonitatem in Deo accidens esse, & qualitatem existimavit. Deinde etiam Lactantii, qui Deo inesse putavit affectum Iræ, quem tamen in potestate, & planè obedientem haberet. Eodem captus errore Theodorus Mopsuestenus, quem Leontius Byzantinus l.3. cont. Nestorium, sic aggreditur: Deum putas non esse bonum οὐσιωδῶς, ideſt, secundùm substantiam &c. Dic nobis, unde accepit bonum? &c. Ad eandem opinionem abierunt recentiores alii: quorum præcipui duo Gilbertus Porretanus Pictaviensis, & Gregorius Palamas Thessalonicensis Episcopi. Immo vero ad eam plus justo videntur accedere Scholastici illi, qui citra notionem, intelligentiamque nostram, per sese, ex reique natura differre proprietates, & ab Essentia divina, & inter sese ipsas docent. Quemadmodum è contrario ad Aetii, & Eunomii placita implicati videntur Scholastici alii quidam, qui adeo differre proprietates omnes ab essentia non censent; neque a se invicem eas, quæ quidem absolutæ sunt; ut nulla sine altera considerari animo queat, atque unius notione cæte-
ræ

ræ includantur. Solamque in illis nominum differentiam agnoſcunt: ut tam prorſus idem, ipſorum judicio, ſit *Deus*, & *Miſericors*, quàm prorſus idem eſt re, & ratione, Petrus, & Cephas, Gladius, & Enſis. Schola verò Zetetica utrunque extremum ex æquo refugit: ac Deum Eſse quoddam, immo ipſum, ac verum Eſse ſimpliciſſimum dicit: in ſe ipſo quidem maximè exemptum, compoſitioniſque omnis, ac diſtinctionis expers; ſecus verò extra ſeſe, cùm in mente noſtra, in qua pluribus notionibus diſtinguitur; tum in omnibus rebus creatis, in quibus pluribus itidem diſtinguitur modis, ac differentiis. Unum enim, quod peculiare affert Zetetica Hypotheſis, & ſupra a nobis Catholicè expoſitum eſt; unum, inquam, eſt Eſse: ejuſque duo quaſi ſunt ſtatus: ſiquidem eſt, & in ſe ipſo, & extra ſeſe. Porro ſecundum hunc quaſi ſtatum, in quo Eſse eſt extra ſeſe, bifariam rurſus Zetetæ dividunt: eſtque ipſum Eſse, eorum ſententiâ, extra ſe dupliciter: nimirum in ſtatu, ut ita loquar, & *reali*, & *intentionali*: in ſtatu reali quidem, quia eſt in rebus omnibus creatis, quæ, quidquid ſunt, ejus participatione ſunt; in ſtatu autem intentionali, quòd peculiari modo eſt in mentibus noſtris, quæ, quod intelligunt, ejus aliquo pacto participes fiunt, illud quodammodo percipiunt, & quaſi trahunt ad ſeſe. Status verò hi duo participationis, & communicationis, qua ipſum Eſse ſe bifariam diffundit, ac diſpertit extrinſecus, in res ſcilicet, & cognitiones; non multum ſanè diſcrepant inter ſeſe: quòd nempe ipſum Eſse, non *intuitivè*, ut ajunt, atque ut eſt in ſe ipſo; ſed *abſtractivè*, atque ut eſt in rebus creatis, agnoſcimus. Quare, ſicut in rebus diſtinctum, ſectumque eſt multiformiter, non uniuſmodi, ac ſimplex; ita etiam in cognitionibus. Habetque, ut egregiè dictum eſt a Philone in lib. *Quis Divinorum hæres*, habet, inquam, mens hominis hanc cum Dei mente ſimilitudinem; ut quod in ſe ipſo quid unum, ac ſimpliciſſimum eſt, utraque in plura quodammodo perſecet, variumque, & multiplex faciat: Mens Dei quidem rebus; mens Hominis autem cognitionibus. Illa, quòd ejus, ut ita loquar, inventum ſunt tam multæ, tamque inter ſe diſſimi-

similes rerum naturæ, ac species, quæ unum, atque idem Esse diversa ratione participant; hæc autem, quòd ab ipsa pariter sunt, tot, tamque diversæ notiones, quibus idem Esse intelligendo percipimus. De Deo ita sentientes Zetetæ ad neutrum ex iis scopulis impingunt, quos supra indicavimus: siquidem Esse, quod in se ipso omnino simplex, atque indivisum fatentur, idem in Naturam, & proprietates, sive, ut ipsi loquuntur, veri esse, insignia, notas, caracteres cogitatione partiuntur. Atque hic tandem intelligo, cur duas illas Dei notiones metaphoricas Unitatis, ac Centri, ipsi aliquando ita exponant: *Deus est Unitas, sive est Centrum, cujus est in illo eodem genere progressio, quidquid in quoque genere perfectio est*. Etenim, ut ipsum Esse dupliciter extra se progredi diximus; ita idem his progressionibus, atque procursibus suis duplicem veluti sphæram complere, & pertexere dicimus. Progreditur quippe extra se ipsum ad res omnes creatas, cum quibus eo modo, quem supra explicavimus, sese communicat: atque his processibus totum Entis Prædicamentalis, quod vocant, ambitum, seu latitudinem efficit: quæ quidem, Zetetarum sententiâ, non verum ens, sed entis imitatio quædam, & quasi umbra est. Ad hanc ipsam imaginem, extra se progredi, seque nobis impertire videtur, notitiâ, atque intelligentiâ sui: inque hominum mentibus ex ipso Esse, & Veritate, tanquam centri radios manare, & diffundi perfectiones illas omnes, *quæ circa Dei substantiam* esse dicuntur a Patribus: & totam, ut ita loquar, expleri, ac perfici sphæram ejus scientiæ, quam de ipso, illius concessu, & beneficio, mortales habemus. Prima progressio realis est: fit enim rebus ipsis, quas omnes ipsum Esse, & Veritas, variis sui ipsius imitationibus, participationibusque percurrit. Quanquam haud equidem nego, in unaquaque re, & natura, certos quosdam progressionis gradus, quos metaphysicos dicunt, distingui cogitatione dumtaxat: quæ scilicet, pro eo loco, quem in hac sphæra quæque res obtinet, ipsiusque variis respectibus, eam tribuit in totidem veluti partes. Sed de his Logici. Altera progressio, *mentalis* est, sive *intentionalis*: fit enim cogi-

cogitationibus nostris: quibus Deum, etsi revera quid sit in se ipso omnino simplex, atque individuum; ut ejus est tamen multiplex ad res creatas respectus, atque habitudo, multimodis ipsum distinguimus. Itaque Centrum ipsum rerum omnium, quod est Deus, in mente nostra sphæræ cujusdam rationem habet. Dum enim perfectiones omnes, atque eas præcipuè, quas cum rebus creatis communicat, ex seseque totidem veluti radios, ac lineas, quoquo versus emittit; sicuti distinctæ sunt, ac certis quæque spatiis, & intervallis discretæ in partibus sphæræ realis, hoc est, in rebus, quæ ipsarum participes sunt; ita etiam in centro ipso, in quo & verè sunt, & sunt planè unum, & idem re ipsa; propriis quasque notionibus, per intelligentiam nostram distinguimus; dum, inquam, id facimus, sphæram quandam in mente ipsa construimus, & conformamus, quæ illi respondet, ejusque speciem aliquam refert, quam Centrum, nempe Esse ipsum, in rebus efficit progressionibus, & participationibus suis. Atque hoc tandem est, quod prisci Zetetæ dicebant, Deus est Centrum, cujus est in illo eodem genere progressio, quidquid in quoque genere perfectio est. Nam, quemadmodum in tota sphæra rerum creatarum nulla perfectio est, quæ non sit physicè, & realiter a vero ipso Esse, quod est centrum rerum omnium; sic etiam in tota, ut ita dicam, Divinitatis sphæra mentali, nulla perfectio est, quæ metaphysicè, & intentionaliter non sit a vero ipso Esse, quod omnium, quæ Deo attribuimus, est veluti centrum, quoniam ex eo, ut apparet in hac secunda Systematis parte, argumentando, ratiocinandoque Divinas omnes perfectiones elicimus. Quòd si perfectiones rerum creatarum, propterea quòd ab ipso Esse realiter manant, dici possunt ejus progressiones reales; perfectiones Divinæ, quia ab ipso Esse profluunt intentionaliter tantùm, dici ideo porunt ejus progressiones dumtaxat intentionales. Immo nullo modo ipsius progressiones, si castigatiùs loquendum sit: Mentis enim nostræ est ille processus: quæ postquam verum Esse intellexit, ex ipso, tanquam ex omnium notionum, ac totius intelligentiæ centro, ad vitæ, sapientiæ, poten-

tiæ,

tiæ, ac reliquarum omnium perfectionum propriam, distinctamque notitiam progreditur. Atque hoc significat ea vox, *Intentionalis* è recentibus Scholis petita; mentis nostræ solius illos esse progressus, quæ, stabilita rei cujuspiam, quantumlibet simplicis, notione primaria, seu definitione; inde sibi gradum facit ad alias rei ejusdem considerationes, in eaque, ut illius sunt varii respectus, atque habitudines, subtiliùs, atque distinctiùs inquirit. Quod tritici similitudine eleganter explicat Basilius, ut proximè vidimus.

12. Nunc aliud refellendum, quo pariter impeti posse videtur assertio nostra: Deus, Zetetarum definitione, Totum est extra Totum; ergo compositus est; Totum enim est, non solùm quod ab ipso, sed etiam, quòd in ipso sunt omnia. Hæc verò valde ambigua sunt. Nam Deus est quidem Totum, sed extra Totum, hoc est maximè exemptum a rebus, quarum omnium est ipsum verum Esse, sive est, ipsa Veritas, sed penitùs abstracta, solutaque modis omnibus, ac differentiis: est Totum, inquam, sed eo fere modo, quo Unitas est totus numerus, ac centrum est tota sphœra. In ipso quidem sunt omnia, sed *singulariter, ac modo prorsus exempto*, ut ait Dioysius sup. cit. tanquam scilicet aut in Unitate numeri, aut in Centro radii: non discretè, aut distinctè, ceu lapides in acervo, vel in ædificio. At enim, instabit aliquis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres Personæ sunt invicem re ipsa distinctæ? Utique, sed in eo erravit Sabellius, ut est apud Epiphanium, & Athanasium; quòd tres hasce personas, quasdam quasi partes Divinitatis constituebat. Considerandæ sunt enim tum quà differunt, tum quà conveniunt inter se. Quatenus differunt, non coalescunt in unum, quod sit quoddam ex illis tribus conflatum: nec partes sunt ipsius Esse, sed processiones. Ut autem conveniunt, jam non tria, distinctaque sunt; sed unum re ipsa: nempe ipsum Esse, ut est in sese, unicum, ac simplicissimum: cujus progressiones inter se re ipsa distinctæ, intrinsecùs quidem, hoc est, intra rationem veri, & proprii esse, Trinitas sunt personarum, ut est apud Cyrillum Alex. Dialog. 7.

log. 7. his verbis; *Simplex igitur : & compositione carens est illa suprema omnium natura, proprietatibus Hypostaseon, ac Personarum, & nominum dilatata differentiis, & in S. Trinitatem progrediens*; exrinsecus autem, hoc est, extra rationem veri, & proprii esse, sunt res ab ipsomet procreatæ. Sed progressionum cùm interiorum, tum exteriorum alibi nobis erit peculiaris tractatio, ex ejusdem Scholæ Zeteticæ non solùm Christianæ, sed etiam Mosaicæ disciplina.

PROPOSITIO III.

Deus est a seipso.

13. DEum a se ipso, quod dicimus, non ita accipi volumus, quasi affirmemus, eum esse causam sui; quod quidem minus rectè dictum est a nonnullis antiquis Patribus; sed, ut negemus, eum esse ab alio. Id verò ex ejus notione primaria sic ostendunt Zetetæ: Quidquid est ab alio, est illo vel tempore, vel saltem naturâ posterius: Deus autem nec tempore, nec naturâ re ulla posterior est: non est igitur ab alio. Primum iis visum est evidens, quibus vel ipsæ partes, ex quibus aliquid componitur, composito ipso priores habentur aliquo pacto: ut supra expositum est. Alterum facillimè probant: nam cujus Essentia metaphysica posita est in ratione omnium prima, eaque ratione ab omni re alia distinguitur; ipsum omni alia re prius esse necesse est. Præterea si quidquam antiquiùs ipso vero Esse fingatur; ea res erit vel alterum ipsum verum Esse, vel pars ipsius: verum autem ipsum Esse, & unicum est, & omnino simplex, ut est demonstratum: illo igitur priùs fingi nil potest. Hæc ipsa in Unitate, & in Centro clarissimè apparent: nam, quod est Unitas, ac Centrum Totius, ex illo sunt omnia: *Si autem ex ipso sunt omnia, ipsum non est nisi a semetipso*, ait Richardus Victor. l. 1. de Trin. c. 12. Qui illud etiam habet c. 8. nihil fore ab ab alio, nisi quid sit a se ipso. Quòd si necesse est, aliquid esse a se ipso, id utique est ipsum

Esse: quoniam quidquid non est ipsum Esse, id vel planè non est, atque ita neque est causa; vel est aliquid, atque ita est ipso Esse posteriùs, quia, si est, est ipsius Esse participatione. Eo pacto, quo, si a se ipso bonum dicatur aliquid, id potiori jure de Bonitate ipsa dicendum sit: nam quidquid non est ipsa Bonitas, vel non est bonum, & sic neque est causa Bonitatis; vel est Bonitatis participatione bonum, quare & Bonitate ipsa posteriùs. Hæc ipsa spectasse videntur Augustinus, & Cyrillus Alex, quid ad illud Johan. VIII. 20. *Principium, qui est loquor &c.* scripserunt, *ipsum Esse simpliciter, & nullo addito, ex quo Deus sibi nomen fecit in Exodo, rectè explicari apud Johannem per rationem Principii, ex quo omnia, ipsum autem ex nullo*. Iidemque, ille quidem l. 8. de Civ. c. 6. ex Platonicorum; hic verò l. 8. cont. Jul. ex Numenii sensu, docent, Deum primum rerum omnium principium probari, quia *simpliciter est, seu quia est*, EST *simplex*.

14. Quòd si quæras hìc, cur Deum, quem ab alio non esse, demonstrant Zetetæ; non ita a se esse concedant, ut causa sit sui ipsius; respondeam: id concedi non posse: nec verò necesse esse rei hujus peculiarem aliquam rationem afferri: cum omnibus in promptu illa sit, qua universim probatur, nihil esse posse causam sui: nimirum, quia non potest esse idem & priùs, & posteriùs se ipso. Præclarè Anselmus Monol. c. 6. *Cum igitur constet, quòd summa natura est per se ipsam quidquid est, & alia omnia sunt per illam, id quod sunt; quomodo est ipsa per se? Quod enim dicitur esse per aliquid, videtur esse aut per efficiens, aut per materiam, aut per aliquod aliud adjumentum, vel instrumentum. Sed quidquid ex aliquo his tribus modis est, per aliud est, & posteriùs, & aliquo modo minus est eo, per quod habet, ut sit: at summa natura nullatenus est per aliud, nec est posterior, aut minor se ipsa, aut aliqua alia re: quare summa natura nec a se, nec ab alio fieri potuit: nec ipsa sibi, nec aliquid aliud illi materia, unde fieret, fuit: aut ipsa se aliquo modo, aut aliqua res ipsam, ut esset, quod non erat, adjuvit*. Quòd verò aliquem timuit inveniri posse tam stultum, cui veniat in mentem, Deum esse ex nihilo, propte-

propterea subjunxit Anselmus: *si aliquo modo est ex nihilo, aut per se, aut per aliud, aut per nihil est ex nihilo. Sed constat, quia nullo modo aliquid est per nihil. Si igitur est aliquo modo ex nihilo; aut per se, aut per aliud est ex nihilo. Per se autem nihil potest esse ex nihilo: quia, si quid est ex nihilo per aliquid, necesse est, ut id, per quod est, priùs sit. Quoniam igitur hæc essentia prior se ipsa non est, nullo modo est ex nihilo per se. At si dicitur per aliquam naturam aliam extitisse ex nihilo, non est summa*, atque antiquissima *omnium: sed aliquà inferior*, posteriorque: *nec est per se hoc, quod est, sed per aliud. Item, si per aliquid est ipsa ex nihilo; id per quod est, magnum bonum fuit*, verumque esse, *cum causa tanti boni*, verique esse *fuit. At nullum bonum*, atque esse verum *potest intelligi ante illud bonum*, atque esse verum, *sine quo nihil est bonum*, immo nec est &c. *Denique, si hæc ipsa natura*, nimirum ipsum Esse, & Veritas per se subsistens, *est aliquid, aut per nihil, aut ex nihilo; proculdubio aut ipsa non est per se, & ex se quidquid est; aut dicitur ipsa nihil: quod utrumque superfluum est exponere, quàm falsum sit*, & a veri esse caracteribus, & proprietatibus abhorrens. Libet his adtexere testimonium Bernardi, qui Deum sumet causam non esse, probat eadem prorsus ratione l.5. de Consider. n.13. his verbis: *Deus, quis est? Non sanè occurrit meliùs, quàm, Qui est ... quidquid de eo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est &c. Quis item Deus? sine quo nihil est: tam nihil esse, sine ipso; quàm nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est, & omnium esse. Quid est Deus? Principium: & hoc ipse de se responsum dedit. Multa in rebus dicuntur principia, sed respectu posteriorum: alioquin, si ad aliquid præcedens respicias, ipsum potius principium dabis. Quamobrem, si quæras verum, simplexque principium, invenias oportet, quod principium non habuerit. Ex quo universum cœpit, ipsum profectò minimè cœpit; Nam, si cœpit, aliunde cœperit necesse est. A se enim cœpit nihil. Nisi forte quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet: aut fuisse aliquid, antequam esset. Quod utrunque, quia ratio non consentit; constat nihil sibimet extitisse principium.*

Scio equidem, nonnullos ex antiquis Patribus, hac de re minus aliquando, ut monui, castigatè loquutos. Duo præcipuè citari solent, Lactantius, & Hieronymus. Sed, ad Lactantium quod attinet, quanquam is l. 1. Inst. c. 7. non tam verbo, quàm sententia ipsa peccare mihi videatur; de illo tamen non magnopere est laborandum: quòd liqueat, ipsius Hieronymi judicio, eum *in destruendis alienis, quàm in adstruendis nostris feliciorem fuiße*. Hieronymus verò quod scripsit in ep. ad Ephes. 3. *Deum sui originem esse, suæque causam substantiæ;* ex iis, quæ statim subiicit, ad Catholicum sensum facilè perducitur. Utitur enim similitudine ignis: atque, ipsum a se esse calidum, alia, non a se, sed ab illo: quia nimirum ignis naturâ suâ, non cujuspiam extranei participatione, calidus est: *cætera, quæ igne calefiunt, calorem illius mutuantur*. Profectò, si ea cum dixit, id tantùm intelligi voluit, Deum a sua essentia, non tanquam a vera causa, sed tanquam a ratione formali intrinseca habere, ut sit; non est, quod repugnem: Deumque hoc pacto a se ipso non solùm negativè, ut ajunt, sed etiam positivè esse concedo: eundemque dico fuisse sensum Anselmi, cum loco proximè cit. lucis similitudinem adhibuit. *Quomodo ergo tandem*, inquit, *summa natura intelligenda est esse per se, & ex se; si nec ipsa se fecit, nec ipsa sibi materia extitit, nec ipsa se quolibet modo, ut, quod non erat, esset, adjuvit? nisi forte eo modo intelligendum videtur, quod dicitur, quia lux lucet, vel lucens est per se ipsam, & ex se ipsa. Quemadmodum enim sese habent ad invicem lux, & lucere, & lucens; sic sunt ad invicem eßentia, eße, & ens &c.*

PROPOSITIO IV.

Deus necessariò existit.

15. HIs argumentis, quantum quidem assequi potui, usi sunt Ebræi Zetetæ. Primò, Deus a sua ipsa natura, & essentia habet, ut sit: ergo est necessariò: nam quod

quod unumquodque habet a ſua ipſa natura, & eſsentia, illud habet neceſsariò: ſic homo, cum habeat a ſua ipſa natura, & eſsentia, ut, ſi exiſtit, ſit & animal, & idem rationis compos; homo, ſi exiſtit, & animal, & rationis compos eſt neceſsariò. Idem verò, cum non habeat a ſua ipſa natura, & eſsentia, ut ſit, ſive, ut exiſtat; non eſt, ſeu non exiſtit neceſsariò. Antecedentis verò duas rationes potiſſimum afferebant: prima illa eſt: Deus, ut vel ipſo notum eſt naturæ lumine, vel certè ex rebus creatis evidenter oſtenditur; Deus, inquam, eſt: & quod proximè confecimus, non eſt ab alio: ergo eſt a ſe ipſo, a ſuaque ipſa natura, & eſsentia habet, ut ſit. Secunda ratio hæc: Si Natura, quæ poſita eſt in ratione omnium prima, atque antiquiſſima, ex ſe ſit indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum, & inter utrumque apta, & ſuſpenſa; jam nec ipſa, nec aliud quicquam exiſtere queat: ſiquidem, ut ſit, ſive, ut exiſtat, indigeat aliquo, quod hanc, ut ajunt, indifferentiam determinet: verùm, cum ſit ipſa omnium prima, nihil id præſtare poſſit. Non eſt igitur natura illa indifferens, ſed affert in ſe ipſa ſummam determinationem, neceſſitatemque exiſtendi. Atque ut habet Auguſtinus l. 5. de Gen. ad lit. c. 16. n.34. *in ſe habet, ut ſit*. Quo etiam ſpectavit Anſelmus, cum ſcripſit Proſol. c.22. *Tu es, qui propriè, & ſimpliciter es; quia non poteſt cogitari, aliquando non eſſe*: quemadmodum non poteſt cogitari homo, quin cogitetur animal rationis compoſ, & cap.3. *ſic verè eſt, ut nec cogitari poſſit non eſſe*. Id verò potiſſimum ſignificare videntur & illud Exod. *Qui eſt*: & illud Job. *Solus eſt*: & illud Reg. *Neque enim eſt alius, extra te*: quæ, ut ſupra vidimus, ita interpretatus Origenes: *Nihil eſt, præter te, ideſt, nihil eorum, quæ ſunt, hoc, quod ſunt, naturaliter habent. Tu ſolus es, cui quod es, a nullo datum eſt .... nos quod ſumus, voluntas eſt Creatoris*. Vide & locum illuſtrem Rab. Moſis Majemon. deſcriptum p. 1. n.10.

16. Alterum argumentum, quo cùm hanc, tum antecedentes alias propoſitiones demonſtrabant, nuda ipſa erat, ac ſimplex Hypotheſis, principiò a nobis expoſita. Quidquid

quid eſt, dicebant, verè non eſt, niſi in Unitate, & in Centro Totius, videlicet in Deo, in quo ſolo verè eſt, & propriè quidquid alicubi, aut aliquando eſt. Conſequens eſt igitur, Deum, & Unicum, & Simpliciſſimum, & A ſe, & Neceſsariò eſse: quoniam quidquid ab ipſo diſtinguitur, in ſe non eſt verè, & propriè: verè autem, & propriè eſse deberet, quidquid vel foret alterum verum Eſse, de quo eſt prima propoſitio; vel pars foret veri Eſse, de quo eſt ſecunda; vel cauſa foret veri eſse, de quo eſt tertia; vel, quam ipſum Eſse ponatur habere, exiſtendi indifferentiam determinaret, de quo eſt quarta. Hanc verò ex ipſa proximè Hypotheſi ita etiam probabant: ſi poſſibile ſit, ipſam Veritatem, ideſt, id, in quo omnia verum eſse habent, non exiſtere; poſſibile ſit, nihil eſse poſſibile. Fac enim, illud non exiſtere, jam nec ipſum, nec alia ab ipſo eſse poſſint. Non ipſum, quia exemplar non poteſt eſse ab imagine, veritas ab imitatione, ſeu falſitate: non alia ab ipſo, quia nullius exemplaris nulla imago, nullius veritatis nulla imitatio, aut falſitas eſt. Rurſus, quòd perſuaſum haberent, nihil verè dici, non exiſtente Veritate; ita pariter ex ipſa Hypotheſi concludebant: Multa ſunt neceſſariò vera: eaque, quæ contingit vera eſſe, neceſſe eſt vera eſſe poſſe; ac neceſſe pariter eſt ab omni æternitate aliquid de quacunque re potuiſse cum veritate affirmari, vel negari: ergo Veritas, ſine qua, nec eſt quidquam verum, nec dicitur; exiſtit neceſſariò: Veritas hæc autem eſt ipſe Deus: ergo Deus exiſtit neceſsariò. Simili argumento uſus Anſelmus Monolog. cap. 17. ut probaret, Deum eſse ſine principio, & ſine fine: *Cogitet*, ait, *qui poteſt, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum, ſcilicet, quia futurum erat aliquid: aut quando deſinet, & non erit hoc verum, ſcilicet, quia præteritum erit aliquid. Quòd ſi neutrum horum cogitari poteſt, & utrunque hoc verum ſine Veritate eſſe non poteſt, impoſſibile eſt vel cogitare, quòd Veritas principium, vel finem habeat. Denique, ſi Veritas habuit principium, vel habebit finem, antequam ipſa inciperet, verum erat tunc, quia non erat Veritas: &, poſtquam finita erit, verum erit, quia Veritas non erit. At, quia verum non poteſt eſſe ſine Veritate, erat*

erat igitur Veritas, antequam esset Veritas, & erit Veritas, postquam finita erit Veritas, quod inconvenientissimum est. Sive igitur dicatur &c. Eadem docet cap. I. & XI. in Dialogo de Verit. quæ descripta sunt in prima Systematis parte. Eadem & Patres alii, quæ non vacat excribere. Immo verò, quoniam iis temporis angustiis urgeor, ut quidquid reliquum est doctrinæ Zeteticæ, intra viginti dies a me exponi necesse sit; ignosci mihi velim, si deinceps & veterum Zetetarum ratiocinationibus Christianorum Patrum sententias parciùs inspergo; & id ipsum, quod ex antiqua Schola Zetetica promo, iisdem symbolis involutum relinquo, quibus primò abditum est a suis auctoribus. Illud profiteor, me cùm in superioribus, tum verò præcipuè in his, quæ sequuntur, ferè semper interpretem agere, atque id tantùm operæ ponere, ut quæ latè dispersa sunt in Ebraicis illis commentariis, quorum jam sæpe memini, adducam in ordinem: quæque ibi Kabbalisticè dicuntur, hìc, clarè, disertèque efferam: atque ex Ebraicis, si parum Latina, at certè ea faciam, quæ & patienter legi, & non difficilè intelligi possint.

PROPOSITIO V.

Deus est Immensus.

17. DUo hæc ex Hypothesi, quam prima parte exposui, colligebat, atque inter se conciliabat Schola Zetetica: Deum scilicet non esse in ullo loco, & esse in omnibus: Nusquam, & Ubique: sic Philo in lib. de confus. linguar. ex antiquiorum Judæorum disciplina: *Deus*, inquit, *solus ubique simul, & nusquam est.* Quæ duo Schola illa ita explicabat, ut hoc demum significarent, Deum rebus omnibus creatis intimum quidem, ac præsentissimum esse, sed modo maximè exempto, ἐξῃρημένως, ut loqui solet Dionysius Areop. eoque fere modo, quo Christiani Theologi quamplurimi docent, Deum res omnes quidem penitus cognitas, per-

perſpectas, & plus etiam, quàm comprehenſas habere, at nonniſi in ſe ipſo. Veterum Zetetarum demonſtrationes affero: & primò quidem, quæ penitus metaphoricæ, ac ſymbolicæ ſunt: nam iis potiſſimùm utebantur: ut iis propterea aptari poſſit, quod de Accademicis ſcripſit Auguſtinus epiſt. 1. num. 1. *Viſum ſibi ſatis congruiſſe temporibus, ut, ſi quid ſincerum de fonte Platonico flueret, inter umbroſa, & ſpinoſa dumeta potius in poſſeſſionem pauciſſimorum hominum duceretur, quàm per aperta manans irruentibus paſſim pecoribus, nullo modo poſſet liquidum, purumque ſervari*. Quibus conſentaneum eſt, quod in lib. de Diis, & Mundo ſcripſit Salluſtius philoſophus, res deorum conſultiùs quibuſdam quaſi involucris obtegi, quàm nudas, & apertas ſimplicioribus obiici: humilia, & abjecta veris obtendi meritò dicit, *ut ex illa, quæ apparet, abſurditate, ſtatim animus involucra eſſe, quæ dicuntur, intelligat: quod autem verum eſt, id arcanum eſſe, ac latens exiſtimet*. Hæc igitur prima Zetetarum veterum demonſtratio eſt. Deus ex Hypotheſi eſt ipſum Eſse: ipſius autem Eſse duo ſunt veluti ſtatus: eſt enim in ſe ipſo, & eſt extra ſeſe. Ipſum Eſse, ut in ſe eſt, adeo non eſt in loco, ut in ipſo potius ſit locus: Eſse enim, ut eſt in ſe ipſo, eſt maximè exemptum, ſolutumque iis omnibus modorum, ac differentiarum vinculis, quibus illigatur, & adſtringitur, ut eſt extra ſe: eſt Totum quidem, ſed extra Totum: denique, eſt Centrum Totius. Locus verò, cum non ſit Eſse ipſum, ut eſt in ſeſe, ſed ejus quædam communicatio, atque progreſſio; radius eſt Centri hujus: quòd ſi radius, non ipſi Centrum, ſed ipſe Centro potius inſidet, & incumbit. Deus igitur non eſt in loco: nuſquam eſt. Contra verò eam ipſam ob cauſam, quòd loca omnia radii ſunt Centri hujus, cum radii omnes in centro ſint; immo hoc ipſum ſit centrum, ſimplex quædam, & maximè exempta radiorum omnium complexio; totum ſcilicet extra totum; conſequens eſt Eſse ipſum, ut eſt in ſeſe, ideſt, in centro, eſse omnibus in locis: eſse ubique. Quæ duo fuerant demonſtranda. Altera demonſtratio ſimilis hujus erat ex Monade, ſive Unitate. Nam Monas etiam, ut Monas eſt; exempta, ſecretaque

taque eſt ab omni numero: cum igitur Deus, hoc eſt, Eſse ipſum, ſit Monas Totius, locus autem, quippe qui pars eſt Totius, hujuſce Monadis numerus ſit; Deum, hoc eſt, Eſſe ipſum exemptum, ſecretumque eſſe a loco, neceſſe eſt. Contra verò, quoniam *numerus omnis*, ut habet Dionyſius loco ſup. cit. ex c.5. de Div. nom. quoniam, inquam, *numerus omnis in Monade collectus*, *& unitus ante conſiſtit*; *& numerum omnem Monas habet in ſe ſingulariter*; ſequitur, Deum, hoc eſt, Eſſe ipſum, ut eſt in ſeſe, in locis eſſe omnibus, eſſe ubique. Quæ duo pariter fuerant demonſtranda: atque hoc tandem, remota omni metaphora, ſignificant, Deum eſſe quidem in omni loco, ſed modo exemptiſſimo, hoc eſt, non ut in loco, ſed ut in ſe ipſo: quod deinceps, iiſdem exemplis, clariùs explicabitur.

18. Verùm obiiciet hìc aliquis, quod quidem ſtatim incurrit in oculos, utramque demonſtrationem peccare, quòd Deum rebus omnibus creatis, non ut ſunt in ſe ipſis, ſed, ut ſunt in ipſo Deo, præſentem intimè probent: quæ quidem non præſentia, ſed potius identitas dicenda eſt. Sic Monas, ut eſt in ſe ipſa, eſt in eo etiam quod eſt numerus, non quidem in ſe ipſo, ſed in ipſa Monade. Nempe in eo, quod eſt numerus *ſingulariter*, non in eo quod eſt numerus *multipliciter*: quod ſecundum eſse, eſt eſse proprium numeri, ſeu eſt numerus, ut eſt in ſe ipſo. Et Centrum, ut eſt in ſe ipſo, eſt in eo, quod eſt radius, aut linea, non in ſe ipſa, ſed in ipſo Centro: nempe in eo, quod eſt radius, aut linea *impartibiliter*, non in eo quod eſt *partibiliter*: quod alterum eſse, eſt eſse proprium radii, ſeu lineæ: ſcilicet eſt radius, ſeu linea, ut ſunt in ſe ipſis. Cum igitur recta Fides, & Ratio ipſa doceat, Deum præſentiſſimum eſse rebus omnibus, quas & condidit, & uſque conſervat, præſentiſſimum inquam, non ſolùm ſecundùm illud eſse verum, & exemptum, quod habent in Deo; ſed etiam, ſecundùm illud eſse minus verum, nec exemptum, quod habent in ſe ipſis; demonſtrationes illæ, quòd eo nòn pertingunt, ut id quoque evincant, ac probent; planè inutiles ſunt, atque oppidò reiiciendæ. Ego verò eas non defendo, ſed tantùm expono:

interpretandi enim dumtaxat onus suscepi, & profiteor: cui tamen ipsi ne desim, & fraudi sit bonis fortasse philosophis malus interpres; rem totam paulo distinctius, ac recentium Scholarum fere in morem propono. Deum, quod me ostensurum recepi, rebus omnibus planè intimum, ac præsentissimum esse, in eo distinguenda, notandaque duo esse ajo, *materiale* scilicet, & *formale*. Eo fere pacto, quo nostri etiam è Schola Theologi, ubi quæstio est, utrum Deus cognoscat res creatas in ipsis quoque; an verò dumtaxat in sese; objectum materiale, quod vocant, seu id, quod meri termini rationem, atque instar habet, ab eo separant, in quo, quia plus aliquid est, nec cognitioni tantùm subjicitur, sed eam quodammodo movet, atque, ut ii loquuntur, determinat; formale objectum propterea nuncupant. Quod spectat igitur ad has Demonstrationes nuper expositas, satis quidem iis ostensum esse dico, quod alterum a nobis propositum erat, Deum scilicet esse ubique, quoad illud tamen tantummodo, quod hæc notio habet, quasi formale, & primarium: reliquum esse, ut ostendamus, quod in ea est veluti materiale, & secundarium. Nam profectò, sicut ii, qui docent, Deum in semetipso tantùm, alia a se contueri, non perinde id accipi volunt, quasi Deus res omnes creatas, cujusmodi sunt in se ipsis, non penitus introspiciat, & planè pervideat; *Omnia* enim *nuda*, *& aperta sunt oculis ejus*; ad Ebræ.IV. 13. sed ea re in Deo tantùm ipsius cognitionis formale objectum constituunt; rationem verò materialis objecti, ac termini solius rebus creatis relinquunt; sic etiam, quod modo tradidimus, Deum esse ubique, sed ut in se ipso tantummodo; non ita intelligi volumus, quasi Deus in rebus creatis omnibus non sit verè, & propriè; *Nunquid enim non Cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus*; Jerem.XXIII. 24. sed quasi in Cœlo sit, non ut in Cœlo, & in terra sit, non ut in terra; sed & in Cœlo sit, & in terra, ut manens in se ipso: atque ita, quod hujus præsentiæ formale est, totum sit in Deo: quod est materiale, in rebus ipsis, ac locis creatis. Quod ipsum significare videtur Augustinus in lib. seu epist. ad Dardan. olim 57. nunc 187. sic enim scribit

bit c.4. n.14. *Deus in Cœlo, & in terra totus, sed in seipso ubique totus.* Tum c.5. n.17. *non est negligenter intuendum, quod diximus, in se ipso esse ubique totum; Non ergo in eis &c. parum distinctè putavimus posse intelligi, cum diceremus, Deum esse ubique totum, nisi adderemus, in se ipso.... Totus enim in se ipso est, nec in quibus est, ita est, ut indigeat eis, tanquam non possit esse, nisi in eis... nec spatio aerio, tanquam loco suo indiget, ubi præsentibus præsto sit, sed æterna stabilitate in se ipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus.* Nec minus aptè in rem nostram, ex ipsiusmet Augustini disciplina Auctor libri de cognitione veræ vitæ cap.29. *Deus ergo*, inquit, *nec partim in Cœlo, nec partim in mundo, nec aliquando totus in Cœlo, aliquando totus in Mundo, nec per singula loca divisus, nec in singulis disjunctè totus: sed extra omnem locum in se, & per se existens, omnem locum replens &c. in omnibus est totus, & in se ipso permanet totus, a se non recedit, sed cuncta in se colligit.* Quasi Centrum scilicet, atque Unitas rerum omnium. Sed ante hos, & his fortasse etiam magis distinctè, & lucidè, Zeteticam hanc sententiam exposuit Dionysius Areop. primùm cap.5. de Div. nom. §.10. in hæc verba. *In uno omnia, quæ sunt, præbabet, & existere fecit, præsens omnibus, & ubique, secundùm unum, & idem,* hoc est, ut in se ipso, *& secundùm idem omne,* hoc est, in se ipso est omnia: *in omnia means, & in se manens, & stans, & se movens, & neque stans, neque movens.* Hic Maximus in Scholiis, *nec ipse*, inquit, *est in loco; neque, quæ in ipso sunt, tanquam in loco sunt; sed habet ea, ut se ipsum habens, & in eis existens; omnibus quidem simul existentibus, & in impartibili in ipso existentibus, distinctis verò in impartibili impartibiliter... Neque enim certè Deus est in illo esse creato, nam ante illud existebat: quin immo, quia omnium auctor est, ipse est extra omnia. Præsens omnibus, ubique enim præsens, cùm singulis, tum omnibus simul pariter adest.* S. Thomas in hoc ipso loco: *licèt dictum sit*, inquit, *quod est præsens omnibus, & ubique; tamen non est in aliquo existentium eo modo, quo unum creatum dicitur esse in alio.* Ne igitur cogites aliquid penetrans omnia, atque idem extra omnia infinitè diffu-

sum, sive in morem aquæ, aeris, lucis, etiamsi hæc nullis finibus circumscripta forent; sive etiam in morem Animæ, & Angeli, a quibus fingas infinitum spatium teneri: quæ ipsa, etiam Pachymeres cogitari vetat ad cap. 9. §. 4. quòd nempe Deus rebus insit, modo longè magis exempto, soluto, ac libero, nempe ut in se ipso tantùm. Sic enim loquitur Dionysius loco modò cit. *In semetipso manens semper, & eodem modo se habens, omnibus æquè præsens, atque ipsum per se, & in se ipso firmiter, & intemeratè in pulcherrimis supra essentialis suæ identitatis finibus locatum, immutabile, lapsus expers, permanens, invariabile, non permixtum &c.*, & §. 8. ejusdem cap. *Quid autem de Divino statu, vel sede dicamus? Quid, inquam, aliud, præterquam, manere Deum in se ipso, & in eodem statu immobili firmè fixum, & supraquam fundatum esse stabiliter &c.* Atque ita demum interpretatur cap. 9. §. 2. &c. quòd Deus & Parvus idem, & Magnus perhibetur: Parvus scilicet, quia nusquam; Magnus, quia ubique: & rursus, nec Parvus, nec Magnus, quia nec ut manens in aliquo puncto spatii, nec ut manens in omnibus, est rebus intimè præsens: sed tantùm ut manens in semetipso, qui utique nec punctum est, nec extensio, neque in puncto, neque in extensione, sed ab his omnibus quàm maximè exemptum: in qua ratione totius maximè exempti positum est quidquid hæc præsentia habet formale & præcipuum: solum enim, ut est in se ipso, idest, maximè exemptus non solum a loco, sed etiam a tempore; & loco, & tempori præsentissimus est.

19. Age verò symbolicas demonstrationes proximè exhibitas, de veterum ipsorum Zetetarum sententia, eo perducamus, ubi ex iisdem illud etiam planum fiat, quod ea notio, *Deus ubique*, habet in sese, materiale quodammodo, & minus præcipuum. Usos hìc eos invenio Centri tantùm similitudine, quoniam iis, quæ ad locum pertinent declarandis hæc est multo aptior. Illud autem potissimùm ostendunt, quod dictum est ab initio, Deum esse rerum omnium Centrum, intelligi debere non solum de rebus omnibus simul, conjunctim, atque communiter; sed etiam se-

ſeparatim de ſingulis. Ita enim concludunt: Sphæræ, cujus περιφέρεια circumferentia nuſquam eſt: centrum eſt ubique: Deus autem, cum ſit centrum Totius, centrum eſt ſphæræ, cujus extrema ora, ac determinatio nuſquam eſt: eſt igitur ubique: &, quod conſequens eſt, centrum non modò rerum univerſarum, ſed etiam ſingularum: quod erat demonſtrandum. Ita porro, quæ ſunt magis abſtruſæ, atque explicatus habent valde difficiles, Immenſitatis divinæ proprietates, ut mihi quidem videtur, non incommodè declarant. Illam primò; ubi eſt homo, angelus, res alia quælibet, ibi pariter eſſe Deum, ſed, ut ait D. Thomas modo cit. in Scholiis ad Dionyſ. cap. 5. §. 10. longè diverſa ratione. Etenim homo, angelus, res alia quævis, ubi ſunt, ſunt tanquam pars ſphæræ, Deus verò ibi eſt, tanquam centrum: homo *circumſcriptè*, quo pacto ſcilicet in loco ſunt corpora: ita ut totum toti, & partes partibus reſpondeant: angelus *definitè*, quo pacto in loco ſunt ſpiritus, ut ſcilicet tam in toto loco ſit, quàm in ſingulis loci partibus totus. Deus verò modo prorſus exempto: ἐξῃρημένως, ut ait Dionyſius, immo verò, ipſi antiqui Zetetæ: ſic nempe, ut ibi ſit, non ut ibi, ſed ut in ſe ipſo. Quod & Auguſtinus elegantiſſimè dixit Confeſ. lib. 6. c. 3. n. 4. his verbis: *Tu altiſſimè, & proximè: ſecretiſſime, & præſentiſſime: ubique totus es, & nuſquam locorum es*. Idemque ſcribit in lib. de Quant. anim. c. 34. n. 77. *Deo nihil ſecretius, nihil præſentius &c.* Et alibi ſæpe. Sed & eam ſecundò divinæ Immenſitatis proprietatem, atque excellentiam, eadem Centri ſimilitudine, non difficilè explicant, quam ſæpe prædicat Auguſtinus idem: Deum ſcilicet homini præſentiorem eſſe, quàm homo ipſe ſibi. *Nonne, quocunque fugeris, te ſequeris?* ait in Pſ. 74. n. 9., *non eſt quo fugias a Deo irato: te ipſo interior eſt*. Homo, ajunt antiqui Zetetæ, eſt in ſe ipſo, ut homo: ideſt, ut radius, ſeu potius umbra, in ſphæra Totius: Deus verò eſt in homine, ut hominis centrum, in quo ſcilicet homo veriùs eſt, quàm in ſe ipſo: centrum enim eſt ipſum Eſſe, & Veritas: radii autem, ipſius Eſſe, & Veritatis adumbrationes, imitationeſque. Tertiò tandem non minus commo-

modè explanant aliam divinæ Immensitatis dotem, præstantiamque sanè admirabilem, de qua sermo est apud Scholasticos, & nominatim apud Franciscum Suares, Doctorem eximium, Metaph. disp.30. sect.7. n.51: in hæc verba. *Ex quo colligitur alia notanda differentia, inter divinam substantiam, & alias immateriales, nam aliæ, cum sunt in loco extenso, quamvis habeant totam substantiam suam in toto, & totam in qualibet parte; non tamen habent totam suam præsentiam in qualibet parte: & anima rationalis, licèt sit tota in toto, & tota in qualibet parte, non tamen habet totam suam unionem cum qualibet parte, quod satis convincit argumentum supra factum, quia potest amittere partem unionis, & tunc non amittit partem substantiæ: signum ergo est, ubi habet totam substantiam, non semper habere totam præsentiam. At verò divina substantia ita est tota, ubicunque est, ut ibi etiam habeat suam totam præsentiam, & immensitatem. Quod quidem, sicut admiratione dignum est, ita etiam divina eminentia, & perfectione dignissimum: quia, cum in nulla perfectione sua partes habeat, non potest alicubi habere aliquid perfectionis suæ, quacunque ratione consideretur, quin ibi etiam totum habeat; & ideo, ubicunque se exhibet præsentem, totam suam immensitatem exhibet.* Id ipsum de Deo affirmabant antiqui illi Sapientes, quorum hic doctrinam exponimus: Deumque in unaquaque re rebus omnibus simul præsentissimum esse dicebant: ut eorum decretis utrumque convenientissimum sit: quòd & divina Æternitas definiatur, interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio; & vitæ incircumscriptæ tota ubicunque, & perfecta possessio, definiatur divina Immensitas. Id verò ita breviter explicabant: Deus ubicunque est, non est ibi *localiter*, idest, tanquam pars sphæræ: sed *exemptè*, tanquam centrum: quòd si ibi est, tanquam centrum, cum in centro sint omnes radii, ibi est, tanquam id, in quo sunt omnia: &, quod consequens est, ibi est, ut præsentissimus omnibus. Quo spectasse videtur Dionysius, cum scripsit loc. supra cit. *in Ipso, & circum Ipsum totum esse & est, & subsistit.* Nempe in Ipso totum esse, tanquam Centrum: circum Ipsum totum esse, tanquam sphæra, seu radii centro incumbentes.

tes. Cum igitur centrum hoc sit in singulis partibus sphæræ, hoc est, in singulis rebus; in singulis rebus, modo quodam exempto, atque in morem centri est totum esse: quare Deus, ut est in unaquaque re, est in omnibus: ac præsens singulis præsens est universis: estque divina Immensitas, incircumscriptæ vitæ ubicunque tota, & perfecta possessio. Sed hic etiam fortasse non satis distinguitur Identitas a Præsentia; aut certè id solum affertur, quod in ea notione instar habet formæ, non verò quod etiam materiæ. Concludunt igitur iidem paulo clariùs: Deus in singulis locis est exemptissimus a loco, quia ibi est, tanquam centrum: ut autem exemptissimus est a loco, ad omnia loca se habet æqualiter: in singulis igitur locis ad loca omnia se habet æqualiter: atque ita, licèt Hierosolyma, & Samaria inter se longè distent, Deus tamen, ut est Hierosolymæ, non magis est Hierosolymæ, quàm Samariæ: atque in singulis locis præsentissimus est universis. Id verò infra melius explicabitur n.25.& 27.

20. Hæc quidem ab antiquis Investigatoribus symbolicè dicta: sed ita mollibus, ac pellucentibus circumvestita metaphoris; ut ea necesse non fuerit apertiùs proponi. Secus verò, quæ mox addam, pleraque ex pervetustis iis monumentis, quæ sæpe citavi, nonnulla ex percelebri libro Zoar, tam crassè, & tam parum aptè vestita, obtectaque sunt a recentioribus fortasse Judæis; tam multis in locis hiantia, mutila, decurtataque sunt; ut planè oportuerit a me omnia è suis integumentis evolvi, & magnam partem redintegrari, atque suppleri. Ita igitur isti concludere videntur: Locus omnis, & quidquid in loco est, Deum habet causam sui efficientem, atque exemplarem: Deus autem, ut causa est exemplaris, est extra locum, & id omne, quod est in loco: nam exemplar est extra imaginem, veritas extra falsitatem, res extra umbram. Ut autem causa est efficiens, est & in loco, & in re omni, quæ est in loco: siquidem, ut causa est efficiens, resque omnes conservat, regit, gubernat; virtute, ac vi sua, hoc est, seipso totum penitus, atque intimè attingit effectum: ergo Deus est extra omnem locum, & in omni loco: nusquam, & ubique:

quod

quod erat demonstrandum. Aliquid simile legas apud omnes fere Ecclesiæ Patres: quorum dicta tamen, ut paulo ante monui, hic referre non vacat. Instar omnium sint ex Latinis Augustinus, ex Græcis Cyrillus Alex. Primus Confes. l.1. c.2.n.2., *An quia sine te non esset quidquid est, fit, ut quidquid est capiat te? Quoniam itaque, & ego sum, quid peto, ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? &c. Non ergo essem Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me.... Vasa, quæ te plena sunt, stabilem te non faciunt: quia, etsi frangantur, non effunderis. Et cum effunderis super nos, non tu jaces, sed erigis nos: nec tu dissiparis, sed colligis nos.... summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime, & justissime, secretissime, & præsentissime &c. An quisquam se faciendi erit artifex? aut ulla vena trahitur aliunde, qua esse, & vivere currat in nos, præterquamquod tu facis nos? &c.* Idem Epist.187. aliàs 57. c.4. n.14. *Est ergo Deus per cuncta diffusus. Ipse quippe ait per Prophetam: Cælum, & terram ego impleo. Et, quod paulo ante posui de sapientia ejus, attingit a fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter &c. sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. In Cælo totus, in terra totus, sed in se ipso ubique totus.* Eadem Tract.2. in c.1. Johan. n.10. *In mundo erat, & mundus per eum factus est. Ne putes &c.* Cyrillus verò lib.1. in Johan. cap.6. *Cum igitur Creatorem omnium modò ostenderit, quòd a non esse ad esse cuncta produxit, Et sine ipso factum est nihil: nunc, quoniam creatura durandi nullam virtutem in se per naturam continet, sed ipse cunctis quasi commixtus vita eorum fit, & in propria naturæ conditione conservat, idcirco clamat: quod factum est, in ipso vita erat. Non solùm, inquit, per ipsum facta sunt universa; sed quæcunque facta sunt, Unigenitus Dei Filius principium, & subsistentia omnium, tam visibilium, quam invisibilium, in ipsis vita erat. Nam, cum ipse sit per naturam vita, tam esse, quàm vivere, & moveri rebus benignissimè, atque variè largitur, non divisibiliter, aut commutabiliter in singula, quæ natura differunt, immissus; sed, cum ipse vita una sit omnium, omnia pene-*

penetrans , a ſingulis , prout fieri poteſt , ac decet , recipitur &c. Erat igitur in omnibus vita , ut dicitur &c. Ejuſdem ſententiæ eſt integrum caput : ex eoque toto , ſicut ex aliis pluribus Chriſtianorum Patrum teſtimoniis , præſertim D. Thomæ p.1. q.8. Demonſtrationi Zeteticæ a nobis proximè allatæ & lucis plurimum , & authoritatis accedit.

21. Idem aliter perſequuntur Zetetæ , & , ut mihi quidem videtur , hac etiam ratione demonſtrant : Eſse veri , ſeu Veritatis proprius quaſi caracter , atque nota , ſimplicitas eſt : Deuſque , id quod habet , illud eſt . Si igitur habet , ut alicubi ſit , non eſt ibi formaliter per aliquod ipſi quodammodo accidens , atque adventitium , quod Deus ipſe non ſit : ſed per ſe ipſum , & quo Deus eſt , eo ibi eſt : Deus autem eo Deus eſt , quo eſt verum ipſum Eſſe maximè exemptum , ſolutumque omnibus differentiis , in quo ſcilicet non reperitur Eſt , & Non : ergo per hoc ipſum verum Eſſe ita exemptum eſt ibi formaliter : quodque ex hoc ſequitur , quo eſt ibi formaliter , eo eſt etiam ubique : nam ſi ibi eſſet , & alibi non eſſet , in eo differentia eſſet aliqua , & Eſt , & Non . Idem verò , cum eo ſit ubique formaliter , quo eſt Eſſe maximè exemptum ; eo eſt ubique , quo nuſquam eſt : & qua ratione eſt in omnibus locis , ea eſt in nullis : ideſt, eſt quidem in rebus, ſed modo prorſus exempto : præſentiſſimus ſcilicet , & ſecretiſſimus , ut ait Auguſtinus : eoque modo , quo nullum creatum dicitur eſſe in alio , ut ait D. Thomas , proximè ambo citati .

22. Idipſum ita demum conficiunt : ſicuti res creatæ & ſunt in ſe ipſis aliquo pacto , & multo veriùs , quàm in ſe ipſis , ſunt in Deo ; ita duplicem habent , ut ita dicam , eſſentiam , & duplicem quodammodo veritatem : primam quidem abſtractam , atque immutabilem in Deo ; ſecundam verò contractam , atque mutabilem , quæque propterea eſſentia , & veritas dici vix poſſit , in ſe ipſis . His poſitis , ex communi veterum Zetetarum perſuaſione , ita rectè concluditur : Omnis veri , ubicunque , & quandocunque verum eſt, exiſtit veritas : omne autem verum in omni loco , & tempore eſt verum ; verum eſt enim ubique, & ſemper, Iſaacum

v.g. esse filium Abrahami; Jacob, & Esau fratres esse; omnis igitur veri in omni loco, & tempore veritas est: non secunda, quæ contracta est, & mutabilis; ergo prima, quæ abstracta, atque immutabilis est. Hæc verò ob id ipsum, quòd abstracta, atque immutabilis est; est extra omnem locum, & tempus: ergo ita est in omni loco, & tempore; ut non sit in ullo loco, vel tempore: quocirca nusquam est, & ubique: nunquam, & semper. Scio equidem non mihi facilè concessum iri, omnis veri, ubicunque, & quandocunque verum est, existere veritatem. Ego verò id non contendo: aio tantùm antiquis Ebræis ita persuasum fuisse: qui, ex Hypothesi, ut duplicem rerum veritatem, primam quidem abstractam, & immutabilem, secundam autem contractam, & immutabilem distinxere; ita etiam res dupliciter veras esse dicebant: primò solutè, & immutabilitèr; secundò restrictè, & mutabiliter: nec veras volebant ubique, & semper, nisi primo modo. Sic Isaacum v.g, esse filium Abrahami; Jacob, & Esau fratres esse; vera quidem esse docebant & hic, & ibi, & ubique, & nunc, & aliàs, & semper, sed abstractè, & solutè: in Deo scilicet, qui est, ut supra ostendimus, Veritas ipsa: non autem contractè, & restrictè in se ipsis, in umbra scilicet, & imitatione vix aliqua Veritatis. Quo ipso, divinæ Immensitatis quæ ratio sit, ac modus, satis aptè declarabant: quòd ita sit verum in hac urbe, in his ædibus, in hoc ipso cubiculo, in quo hæc scribo, Isaacum esse filium Abrahami; Jacob, & Esau fratres esse; ut tamen ab his ipsis solutum, liberum, exemptissimum sit. Cumque rerum primaria, abstracta, immutabils veritas, non multiplex sit; sed, ut Propos. 1. ostendimus, una sit omnium; hac eadem ratione planum faciebant, quod Centri similitudine supra est explicatum: esse Dei Immensitatem, vitæ incircumscriptæ totam in quocunque loco, perfectamque possessionem. Doctrina hæc Hypothesi ipsi proximè incumbit, estque apud omnes ferme Patres, quorum testimoniis Hypothesim supra probavimus. Præcipuè verò apud Anselmum, qui de Veritate fusè, & luculenter tractavit. Facit igitur primò ad rem etiam præsentem ea ratio, qua Monolog.

nolog. c. 18. Deum probat carere principio, & fine. *Cogitet*, inquit, *qui potest, quando incæpit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet, quia futurum erat aliquid; aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erit aliquid. Quòd si neutrum horum cogitari potest; & utrumque hoc verum sine veritate esse non potest;* (eadem Anselmi persuasio, ac veterum Judæorum) *impossibile est cogitare, quòd Veritas principium, vel finem habeat. Denique, si veritas habuit principium, vel habebit finem; antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas: & postquam finita erit, verum erit, quia non erit veritas: Atqui verum non potest esse sine veritate &c.* Idem probat, Veritatem, seu ipsum Esse in omni loco, & tempore esse cap. 20. in nullo loco, & tempore cap. 21. Denique in omni, & nullo loco, & tempore cap. 22. hoc est, ubique, & semper, sed modo prorsus exempto a loco, & a tempore, ut de Veritate paulò ante diximus: & confirmat Ansel. loc. cit. his verbis. *Quomodo quoque non est impudentis imprudentiæ dicere, quod summæ Veritatis aut locus circumscribat quantitatem, aut tempus metiatur diuturnitatem: quæ nullam penitus localis, vel temporalis distensionis magnitudinem suscipit, vel parvitatem? &c.* Eadem repetit in Dialog. de Verit. præcipuè cap. 1. & 10. in quo illa: *Non est vera oratio, quæ dicit, futurum esse aliquid, nisi re ipsa sit aliquid futurum: neque aliquid est futurum, si non sit in summa veritate, &c.* Et paucis interjectis: Idcircò verè dicitur, præteritum esse aliquid, quia ita est in re: & ideo est aliquid præteritum, quia sic est in Veritate summa. Quapropter si nunquam potuit non esse verum &c. Probat tandem cap. 13. unam esse Veritatem in omnibus veris: quæ, quoniam est ubique, ex eo pariter sequitur, ut sit Divina Immensitas, incircumscriptæ vitæ, seu Esse veri; ubique tota, & perfecta possessio.

PROPOSITIO VI.

Deus est Æternus.

23. DE divina Æternitate duo illa ex Scholæ Zeteticæ disciplina tenenda potiſſimùm ſunt, quæ nuper demonſtrari diximus ab Anſelmo: eſſe Deum ſcilicet & nullo tempore, & omni; & nunquam, & ſemper. Quæ in ſpeciem contraria, quomodo intelligenda ſint, atque inter ſe concilianda; quoniam illa ſatis declarant, quæ de divina Immenſitate proximè expoſui; eaque huc transferre, & aptare per ſe quiſque facilè poteſt; hac de re tota vix jam ſupereſt, quod in præſentia diſputem. Supereſt tamen aliquid, atque id ejuſmodi eſt, de quo quidquid dicam ad Immenſitatem quoque referri poſſit percommodè, eique meliùs intelligendæ viciſſim ſubſerviat: ut eorum, quæ de duabus his Dei perfectionibus tradenda fuerant, tunc equidem, cum de Immenſitate diſserui, quaſi fundamentum, doctrinæque partem præcipuam; nunc verò, cum de Æternitate mihi ſermo eſt, quæ ſcitu digna quidem ſunt, ſed minus fortaſse neceſsaria, quoddam quaſi faſtigium, operi jam propè abſoluto poſuiſse videar.

24. Primum hic quæri ſolet apud recentes Scholaſticos, utrum res creatæ, Deo ab omni æternitate præſentes fuerint non ſolùm *objectivè*; ſed aliquo pacto etiam *phyſicè*. Hac de re id unum apud antiquos Zetetas invenio, Deum ita ſe prorſus habere ad Tempus, uti ſe habet ad Locum. Id verò cum explicarent, duplex quoddam diverſi generis ſpatium cogitari jubebant: manens alterum, alterum movens: utrumque nullo definitum, & circumſcriptum termino. Spatium manens ſphœram loci, ſpatium movens ſphœram temporis nuncupabant. Tum in hac duplicis ſphœræ imagine, & ſimilitudine ita inſiſtebant, ut ſphœræ manentis centrum Dei Immenſitatem eſse, dicerent; centrum ſphœræ moventis Æternitatem. Et, cum ſphœræ utriuſque partim quidem veræ;

veræ; partem autem confictæ, atque, ut vulgo dicitur, imaginariæ, nusquam peripheriam, extremumve ambitum ponerent, in quovis ipsarum puncto centrum statuebant. Et hæc erat apud illos hujus duplicis spatii propria notio: *Sphæra manens, & movens: quarum peripheria nusquam est, centrum ubique*. Ac rectè quidem, ut mihi videtur, Dei Immensitatem, Æternitatemque non sphœræ, sed centro comparabant: nam, sicut in centro sunt omnes radii, immo hoc ipsum est centrum, radiorum omnium individua, atque exempta complexio; radius autem nihil est aliud, quam progressio quædam, & quasi umbra centri; sic etiam, ajebant, sphœræ manentis quidem in Immensitate; moventis autem in Æternitate sunt radii omnes, hoc est, omnia tum quæ re ipsa condita sunt, quæ condi potuerunt & loca, & tempora: atque hoc Immensitas, hoc Æternitas est; omnium illa quidem locorum, hæc autem temporum individua quædam, atque exempta complexio: ipsum scilicet eorum Esse simplicissimum, abstracta, atque immutabilis Veritas: hoc est autem quilibet locus, Immensitatis progressio, seu participatio quædam, atque umbra; progressio pariter, seu participatio quædam, atque umbra Æternitatis quodlibet tempus. Jam, quod addebant, esse hæc duo Centra in suæ quodque sphœræ qualibet parte; eo facilè declarantur, ut supra etiam planum fecimus, quædam magis reconditæ, & a vulgari intelligentia remotæ cùm Immensitatis, tum Æternitatis proprietates: atque id præcipuè, quod in præsentia quæritur: de quo antequam quidquam, ex hac veterum Zetetarum doctrina, definiam, aut statuam, iis occurro, qui mihi hìc possent obiicere: ipsam hanc similitudinem intellectu difficillimam esse: ne cogitari quidem, aut fingi posse ullam istiusmodi sphœram, immensam, interminatam: in quam se injiciens animus, & intendens ita latè, longeque excurrat, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. Enimverò magnitudinis, aut spatii, cujus nullus est terminus, figuram nullam esse: spœram dici non posse. Ego verò de nomine non disputo: de eo, planè ut libet. Quod ad rem pertinet; si sphęram, aut quasi sphęram

ram cogitando informare non vales, cujus nullus sit extremus ambitus, atque gyrus, sed alium semper alius eo major excipiat; sphœram animo informes certo comprehensam, & conclusam termino. Si Centrum illud in quavis sphęræ parte positum intelligere nequis, quod supra statuimus; at punctum ibi certè intelliges: punctum autem quoque, vel si centrum non sit, Immensitatis, atque Æternitatis instar aliquod, & similitudinem habet. Ut enim ait Anselmus cap. 8. de Incarn. *Punctum simplex, idest, sine partibus, & indivisibile est, velut Æternitas*. Et puncti quidem progressiones, ac fluxiones quædam, & quasi umbræ sunt lineæ; lineis autem rectè assimilantur & loca, & tempora: participationes dividuæ principii individui. Immo verò, quoniam a quovis puncto ad quodvis directa est via; necesse est in quovis puncto lineas omnes concurrere, quæ aliis punctis omnibus, quotquot ubivis cogitari, aut fingi possunt, respondeant: qui linearum concursus, atque complexio, cum æqualis sit in quolibet puncto; qualemcumque sphęram constituas, sive certò aliquo tandem, sive nullo determinatam, finitamque extremo ambitu; in ejus singulis partibus, Immensitatis, atque Æternitatis symbolum aptissimum, & in veteri quidem Investigationis Schola tum Mosaica, tum deinde etiam Christiana vulgatissimum, ac receptissimum habes. Quanquam utriusque hujus, ac reliquarum omnium Dei perfectionum caracteres sunt illustriores, atque insigniores in Centro: ac de Centro præcipuè loquuti sunt antiqui illi Sapientes, ut ex iis Dei notionibus facilè apparet, quas in prima Systematis parte, ex ipsorum magisterio, & disciplina effinximus: *Ipsum Esse*: *Ipsa Veritas*: *Ipsum Esse, ut est in sese extra omnia*: *Veritas extra omnia vera*: *Totum exemptum*: *Totum extra Totum*; quibus omnibus, ut eadem planè vis, & sententia subest; sic species est aliqua Centri. Immo illa tandem expressa disertè per Centrum; *Deus est Centrum totius*. Totum verò, ut rectè intelligatur, sicuti nulla est aptior imago, quàm sphæræ; ita de veterum Zetetarum sententia, non est ad hoc sphæra quædam cogitanda, quæ ambitu, complexuque suo cuncta coerceat; sed cujus

jus nullus sit ultimus ambitus, atque complexus. Liquet id ex ipsa Totius definitione, quæ apud ipsos istiusmodi erat: *Sphæra intelligibilis, cujus Centrum est ubique, Circumferentia nusquam*. Curandum nobis est igitur, quantum facere, enitique possumus, ut sphæram hanc animo concipiamus. Nam sicut omnis nostra cognitio suspensa est ex sensibus; sic, ut rectè quid intelligatur, maximè laborandum est de imagine illa, ac specie, quæ ad intelligendum adhibetur.

25. His constitutis, promptum jam mihi est ad quæstionem propositam quid, de Ebræorum sententia, respondeam. Nam, etsi Punctum, aut Centrum partes non habeat; nec aliquando esse possit in sphæra movente, nec alicubi in sphæra manente; quin tunc, & ibi sit totum; quoniam tamen sphæræ ipsæ partes habent suas, illa quidem fluentes, hæc autem stantes; centrumque, ut dictum est, est in singulis partibus; non continuò si quid centrum tangit in una quadam sphæræ parte, tanget illud & in reliquis omnibus. Aliud est centro toti aliquando, aut alicubi cohærere, & conjungi; aliud verò est eidem cohærere, & conjungi semper, & ubique: nempe & toti centro, & in tota sphæra. Singula igitur puncta & loci, & temporis, eaque, quæ in loco, & tempore sunt, secundùm illud esse, quod habent in se ipsis, præsentia physicè sunt alicubi, vel aliquando, unumquodque scilicèt in sua propria differentia, & mensura; præsentia, inquam, physicè sunt Centro toti, hoc est, toti Immensitati, & Æternitati divinæ, sed non in tota sphæra: ideft, non in toto loci, ac temporis spatio sive vero, sive imaginario, fictoque. Nempe, ut foret aliquid centro physicè præsens & toti, & in tota sphæra; oporteret, idem esse physicè præsens, non uni dumtaxat cuipiam sphæræ parti, sed omnibus, quoniam in omnibus centrum est. Puncta verò & loci, quæ sunt partes sphæræ manentis; & temporis, quæ sunt partes sphæræ moventis, suis quæque spatiis, & intervallis invicem disclusa, discretaque sunt: quapropter, secundùm illud esse, quod habent in se ipsis, atque in propria differentia, & mensura, præsentia quidem physicè sunt singula toti centro: quia sphæræ, cujus nulla extre-

extrema ora, ac determinatio est, centrum est in singulis partibus: sed nullum eorum est eidem physicè præsens in tota sphæra, hoc est, ubique, & semper. Hoc autem intelligendum dixi de illo Esse, quod loca, & tempora, eaque, quæ in loco, & tempore sunt, habent in se ipsis, atque in proprio quodque spatio, intervallo, differentia, mensura: nam, si sermo sit de illo esse maximè exempto, quod habent in centro, quoniam quidem in centro, ut sæpe dictum est, sunt radii omnes; secundùm hoc esse profectò præsentia sunt centro & toti, & in tota sphæra: hoc est, ubicunque, & quandocunque est centrum, quod sanè est ubique, & semper. Verumtamen hæc, si rectè, & castigatè loquendum sit, non præsentia, sed identitas est. Siquidem illud esse, quod habent res omnes creatæ extra sese in ipso Esse, atque in ipsa incommutabili Veritate, a Deo re non distinguitur. Neque verò hæc doctrina iis repugnat, quæ Thesi superiore tradidimus, cum tertiam divinæ Immensitatis proprietatem ex Zeteticæ Scholæ decretis explicaremus. Fatemur enim, quod ibi diximus, Deum in unaquaque re præsentissimum esse universis: ut sit & divina Æternitas vitæ interminatæ, & divina Immensitas vitæ incircumscriptæ, in quocunque puncto sive temporis, sive loci tota simul, & perfecta possessio. Verùm, ut ibi indicatum est, Deus quandocunque, & ubicunque est, tunc, & ibi est modo prorsus soluto, & exempto a tempore, & a loco: non tanquam pars sphæræ, sed tanquam centrum. Quo non negamus, esse Deum rebus omnibus intimè præsentem: sed iis præsentem dicimus, non ut in ipsis, sed ut in sese: & cum in singulis insit se toto; in singulis dicimus præsentissimum universis. Eo fere pacto, quo, qui docent Deum res creatas cognoscere modo dumtaxat ab iis prorsus soluto, & exempto; non negant, Deum res singulas, ut sunt in se ipsis, penitus cognitas, ac perspectas, & plusquam comprehensas habere: sed ajunt, eas a Deo cognosci, perspici, comprehendi, non rebus ipsis, sed Deo veluti medio: ex quo sequitur, ut in singulis intelligat universa. Ac, quemadmodum hi in eo, quod pertinet ad Divinam scientiam, res creatas nihil aliud esse dicunt, nisi meros

meros dumtaxat terminos ; Idem ego, vel potius antiqui Zetetæ de rebus ipsis creatis affirmant in eo, quod pertinet ad Divinam præsentiam. Itaque si de rebus his ipsis, quæ plus aliquid non sunt, quàm meri termini, sermo sit ; eæ, ut sunt in se ipsis, Deo physicè præsentes non sunt, nisi in propria differentia, & mensura. Utque Dei Immensitati, quæ centrum est sphæræ moventis non cohæret v. g. Roma, nisi ubi est ; sic Æternitati, quæ centrum est sphæræ moventis non cohæret v. g. hìc Jubilæi annus 1725., nisi quando est : scilicet, hic quidem toti centro, idest, Æternitati ; illa autem toti pariter centro, idest, Immensitati : sed neque hìc, neque illa, in tota sphæra : at in sua propria differentia, & mènsura. Quantum his rebus declarandis hæc centri similitudo valeret, vidit utique D. Thomas : eaque usus est præcipuè lib. 1. cont. Gent. c. 66. Utinam verò eam non aliqua tantùm ex parte attigisset, sed totam complexus esset, cujusmodi est in his Scholæ Zeteticæ monumentis, quæ modò interpretor : non esset sanè, quo de ipsius mente dubitare possent recentes Theologi. Sic autem loquitur Angelicus Doctor. *Intelligere Dei successionem non habet, sicut nec ejus esse : est igitur totum simul, semper manens, quod de ratione æternitatis est : temporis autem duratio successione prioris, & posterioris extenditur : proportio igitur æternitatis ad totam temporis durationem, est, sicut proportio indivisibilis ad continuum : non quidem ejus indivisibilis, quod terminus continui est, quod non adest cuilibet parti continui : (hujus enim similitudinem habet instans temporis*, quod in sphæra movente non se habet modo exempto, ut centrum, sed est radius, aut radii pars) *sed ejus indivisibilis, quod extra continuum est, cuilibet tamen parti continui, sive puncto in continuo signato coexistit : cujusmodi est centrum. Nam, cum tempus motum non excedat, æternitas, quæ omnino extra motum est, nihil temporis est. Rursum, cum æterni esse nunquam deficiat ; cuilibet tempori, vel instanti temporis præsentialiter adest æternitas*, quia sphæræ moventis centrum immobile. Tum, paucis interjectis, *Quidquid igitur*, inquit, *in quacunque parte temporis est, coexistit æterno, quasi præsens eidem, etsi respectu alteriùs par-*

 tis

tis temporis sit præteritum, vel futurum. Æterno autem non potest aliquid præsentialiter coexistere, nisi toti: sed non in tota sphæra: *neque enim, quod quadam parte temporis agitur, semper fuit existens*. Si vetustos hosce Ebræorum codices, quibus utor, vidisset, clariùs hic oppidò loquutus fuisset: nec tamen hæc ita obscura, ut ad doctrinam Zeteticam non facilè possint accomodari. Quod enim Zetetæ centrum sphæræ tum manentis, tum moventis in singulis earum partibus constituerint, id fecerunt, ut rem oculis magis subiicerent. Cæterùm, si centrum in hac duplici sphæra, ut par est, statuitur modo prorsus exempto ab omni loco, & tempore; æquè se habet ad omnia loca, & tempora: ut sit scilicet, & non sit tam hic, quam ibi; tam nunc, quàm antea, aut postea: ubique, & semper, modo exemptissimo.

26. Quæri secundò potest, quandoquidem veteres Ebræorum Magistri infinita duo quædam diversi generis spatia cogitari volebant, alterum manens, sive aptum manere, cui locus; alterum movens, sive aptum moveri, cui tempus respondeat; censerent ne Deum in iis dumtaxat existere geminæ hujus sphæræ partibus, quæ veræ sunt, ac veri, & loci, & temporis rationem habent; an verò in iis etiam, quæ veræ non sunt: nec locus, ac tempus; sed quædam quasi aptitudo, atque capacitas, & loci, & temporis dici possunt, & ab Augustino lib. 7. Confess. c. 1. n. 1. *spatiosum nihil*, vulgò autem spatia imaginaria, nuncupantur? Equidem sic exististimo, apud antiquos Ebræos de quovis planè utriusque hujus spatii, & quasi sphæræ puncto eandem fuisse rationem. Ea enim, ut diximus, erat apud illos ejus duplicis spatii notio: *Sphæræ manens, & movens, quarum circumferentia nusquam est, centrum ubique*. Hæc verò particula *ubique* non in aliquas tantùm sphæræ partes cadit, sed in omnes: neque enim, quod in eorum Schola axioma percelebre fuit; sphæræ, cujus peripheria nusquam est, centrum est ubique; certo aliquo sphæræ tractu definiendum, & contrahendum est: sed ita accipiendum, ut in sphæra, cujus nulla extremitas sit, punctum quodcunque designes, ibi centrum constitui, aut intelligi queat. Hoc verò ea etiam ratione conficitur: Ideo enim

enim sphæræ cùm manentis, tum moventis centrum ubique ponebant; quòd neutri sphæræ terminum ponerent: at ejus tractûs, qui verò & loco, & tempore continetur, ipsorum etiam confessione, certus est terminus: quippe & locus est undique conclusus; & tempus habet initium; ergo, quòd in utraque sphæra centrum ubique ponerent, circumscribendum non est iis dumtaxat sphæræ utriusque partibus, in quibus reperitur veri & loci, & temporis ratio: sed planè intelligendùm de omnibus. Atque hoc significare voluisse videntur ipsi Zeteticæ Scholæ principes, qui, Deo authore, & magistro, hæc nobis scripta reliquere: Job. XI. 8. *Excelsior Cœlo est &c.* III. Reg. VIII. 27. *Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt.* II. Paralip. II. 6. *Cœlum, & Cœli Cœlorum capere eum nequeunt.* Isa. XL. 12. *Quis mensus est pugillo aquas; & Cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis &c.* Quem locus explanans Gregorius lib. 2. Moral. c. 8, *Sedi*, ait, *cui præsidet interior, & exterior manet. Cœlum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur, quòd ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creavit, exterior ...* eadem scribit hom. 17. in Ezech. Isa. pariter LXVI. 1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Quem in locum Hieronymus *per quæ*, ait, *ostenditur Deus & forinsecus, & extrinsecus, & infusus, & circumfusus &c.* Sed ut Ebræis Zetetis Christiani consenserint, in promptu mihi foret ex meis adversariis, si res postularet, ostendere: paucos seligam ex præstantioribus. Dionysius cap. 1. de Div. nom. Deum: *immundanum, circummundanum, supermundanum, supercœlestem*: appellat. cap. 3. *Infinitas, quæ omnia excedit, & amplectitur,* & cap. 9. *Magnus*, inquit, *Deus nominatur, secundùm magnitudinem ipsius, quæ extra omnem magnitudinem & superfusa, & superextensa locum omnem continet.* Clemens Alex. 5. Strom. Deum, *comprehendentem dicit omnia, & sinu suo complexum*, similiter ejus auditor Origenes l. 7. cont. Celsum. Hilarius initio lib. 1. *Ut in his cunctis originibus creaturarum Deus intra, & extra, & supereminens, &c.* Athanasius tom. 2. ep. 1. ad Serap. *Ubique est, & extra omnia: implet omnia manens extra omnia.* Ambrosius de Fil. Divin. c. 6. *Qui Cœlum manu*

sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit &c. & in epist. ad Eph. 3. *Non solùm implet omnia, sed etiam excedit*. Augustinus Conf. l. 7. c. 5. n. 7. *Constituebam in conspectu spiritus mei universam Creaturum finitam, & te, Domine, ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed usquequaque infinitum, tanquam, si mare esset ubique, & undique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam, quamlibet magnam, sed finitam tamen &c. Ecce Deus: & ecce quæ creavit, & ecce quomodo ambit, atque implet ea*. In quibus, quod pertinet ad eam infinitatem, quam modò persequimur nihil corrigendum duxit unquam: cavit tantùm in Ep. ad Dard. sæpe cit. c. 4. n. 11. *in eo ipso, quod dicitur, Deus ubique diffusus, carnali resistendum cogitationi: ne opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur*. Idem l. 11. de Civ. c 5. cum iis disputans, qui quærebant, cur Deus Mundum tali tempore, & non antea condiderit; ait: *an forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco: sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia ubique totam, a tantis locorum, extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt; & in uno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor, eos in hæc vaniloquia progressuros*. Quanquam idem tum hic, tum alibi sæpe nec verum locum extra mundi ambitum, nec verum tempus ante mundi effectionem esse concedit: sed *spatiosum nihil*. Ex Augustini autem disciplina auctor lib. de cogn. ver. vit. *Ubique, scilicet in omnibus, & extra omnia est totus, extra omnem locum replens omnia*, & Auctor lib. de Specul. c. 2. *Capiunt ergo te Cælum, & Terra, quoniam tu imples ea. An imples, & restat, quod te non capiunt? Et quo refundis quidquid, impleto Cælo, & Terra, ex te restat? An ne opus habes, ut a quoquam continearis, qui contines omnia?* & c. 23. *Et ideo interior es, ut omnia contineas: ideo exterior es, ut incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia circumcludendo, omnia regas. Per id ergo, quod exterior es, ostenderis esse creator: per id verò, quod interior es, omnia regere, & gubernare demonstraris. Ac ne ea &c.* Gregorius l. 16. Moral. c. 15.

c.15. *In circumscriptus nanque Spiritus omnia intra semetipsum habet: quæ tamen & implendo circumdat, & circumdando implet, & sustinendo transcendit, & transcendendo sustinet.* Damascenus l. 1. c. 8. Divinitatem *implentem omnia vocat, & nullius rei complexu coercitam: sed ipsam potius amplectentem omnia, & continentem, & supraeminentem, sine ulla inquinatione substantiis insistentem, & ultra omnia.* Eodem pertinent demonstrationes illæ, quas ex notione Veritatis instituit Anselmus locis sup. cit. Ac demum, quod scribit D. Thomas p.3. q.52. a.3. ad 3. *Omnia loca simul accepta Dei Immensitatem comprehendere nequeunt: immo ipse omnia sua immensitate comprehendit: neque ita est in mundo, ut non sit etiam extra.* Et Quodlib. 11. a.1. *Deus non solùm est in iis, quæ actu sunt; sed etiam in iis, quæ imaginatione concipi possunt.* His, aliisque pluribus Patrum testimoniis, quæ hic prætermittimus, illud evinci videtur, Deum Cœli, Mundive ambitu minimè contineri, sed intra, extraque, modo ubique exempto in immensum existere: uti etiam, modo pariter exempto, æternum extitit, antequam conderet tempora. Quod, si quis hìc me interroget, ecquo pacto in spatiis illis imaginariis, tum quibus locus, tum quibus tempus respondet; Deum esse censerent Zetetæ; breviter, de illorum sententia respondeam: eo scilicet prorsus modo, quo est in vero ipso & loco, & tempore: modo, ut sæpenumero dictum est, maximè exempto: non ut pars sphæræ, sed ut centrum: non ut ibi, aut tunc, sed ut in se ipso: ita, ut hæc verè pronuntiari possint; quod quidem ad locum pertinet, Deum modò ibi esse, ubi erat, antequam hic mundus existeret, & ubi esset, si existerent infiniti: quippe qui, nec antequam hic mundus existeret, ibi non erat, ubi modò est; nec si infiniti existerent, ibi esset, ubi modo non sit: cum sit in se ipso, & in se ipso manens, in omnibus tum quæ sunt, tum quæ esse possunt, sphæræ manentis partibus sit. Quod autem pertinet ad tempus; Deum ita tunc fuisse, cum verum tempus non erat, uti fuisset, si verum tempus extitisset: quemadmodum hoc veri temporis momento ita est, uti esset, si hoc veri temporis momentum non esset: in se ipso videlicet: atque in se ipso manens,

manens, planèque immobilis, & a tempore exemptus ad ejus omnes partes se habet æqualiter, veluti centrum sphæræ infinitæ: sic, ut, & sit quia præsentissimus; & non sit, quia exemptissimus, tam hodie, quam heri: quamvis non æquè sit ipsum hodie, ut ipsum heri: quæ partes sunt sphæræ moventis, & altera quidem est, altera verò præteriit: ac singulæ præsentes physicè sunt toti centro, sed non in tota sphæra, ut est explicatum. Sed de his consule Philonem tract. de Immut. Dei: Dionysium c.5. de Div. nom. Tertullianum l.1. cont. Marc. c.8. Gregorium Nazian. orat.38. Nyssenum l.1. cont. Eun. Augustinum l.9. Conf. c.10. n.24. lib.11.c.11. n.13. cap. 13. n.15. & 16. aliisque innumeris in locis. Lege Prosperi Epigr. 41. Adi Gregorium Magn. lib.9. Mor. c.16. lib.16. c.20. lib.20. c.23. Isidorum 1.Sent.c.8. Petrum Dam. Opusc.36. c.8.& 15. Bernardum l.5. de cons. c.6. & serm.31. in Cant. Maximè verò Anselmum Monol. c.20. 22. 24. Prosol. c. 18. De Incar. c.8. Denique lib. de Concord. præsc. & Grat. ubi *quemadmodum*, inquit, *præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt; ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore.* Quam similitudinem iterat in Dial.de Verit. c.ult. Qua probatur, Veritatem ipsam per se subsistentem, hoc est, Deum æquè præsentem esse partibus omnibus sphæræ moventis, quia prorsus exemptum: eo fere modo, quo se habet ad omnia loca tempus præsens: quod Zetetæ significant, cum dicunt, utriusque sphæræ manentis, & moventis centrum, idest, Deum esse in singulis partibus, non tanquam partem sphæræ, sed tanquam centrum: modo scilicet prorsus exempto.

27. Jam brevissimè illud expedio, quod hic tertiò solet in quæstionem venire, utrum scilicet aliud quidpiam a Deo Immensum, Æternumve esse, possibile sit. Veterum enim Ebræorum sententiâ, Immensum, Æternumve nec est quidquam, nec esse potest, nisi sit ipsum, ut est in sese, Esse exemptum, atque immutabilis Veritas: seu centrum omnium, cùm quæ condita sunt, tum quæ condi potuerunt locorum, ac temporum: siquidem hoc apud ipsos Immensitas, hoc Æternitas erat: totius sphæræ illa quidem manentis, hæc autem

autem moventis plena in qualibet parte, atque omnibus differentiis exempta possessio: Ipsum autem hoc Esse, hæc Veritas, hoc Centrum est ipse Deus. Nam, quidquid est extra Deum, non ipsum Esse, ac Veritas, ut est in sese, sed ejus progressio, atque umbra: non centrum, sed radius est: veterum igitur Ebræorum sententiâ, nihil, quod Deus ipse non sit, Immensum, Æternumve esse possibile est. Ut Æternitatis definitionem, sic conclusionem hanc e Schola Zetetica egregiè expressit Boethius l.5. de consol. pros. 6. *Quod igitur*, inquit, *temporis patitur conditionem, licèt illud (sicut de mundo censuit Aristoteles) nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tamen tale est, ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul infinitæ licet vitæ spatium comprehendit, atque complectitur; sed futura nondum transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac possidet, cui nec futuri quidquid abiit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur. Idque necesse est & sui compos præsens sibi semper assistere, & infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde quidam non rectè, qui, cum audiunt, visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium, nec habiturum esse finem, hoc modo Conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam &c.* At enim duplicis spatii, seu sphæræ manentis, & moventis, quæ Zetetæ cogitari volunt, potueruntne partes omnes, illæ etiam, quæ imaginariæ dicuntur, revera existere? Possibilia ne habebantur apud antiquos Ebræos locus verus sine termino, tempus verum sine initio? an verò in absurdis, & *adinatis* erant? De hoc quidem non habeo, quod satis liqueat: nisi forte satis argumenti sit, iis utrunque visum esse possibile, quòd spatia ea duo, manens, & movens, de quibus jam dictum est, sine dubio ponerent infinita. At spatia illa revera nihil sunt? Oppidò nihil sunt: sed *nihil spatiosum*, ut habet Augustinus: locus, ac tempus re quidem ipsa non sunt; sunt tamen, ut ita loquar, aptitudine, & capacitate: iisdemque possunt inter-

intervallis, partitionibus, dimensionibus notari, & distingui: vacui enim, ac pleni eadem est mensuræ ratio: nec quidquam interest ad id, de quo agitur, merum ne inane dumtaxat, an vera res aliqua fuerit, illa manens, & movens infinitas, quam & extra mundum, & ante omnem Cœlestium orbium conversionem, de Zetetarum sententia, statuimus. Nam, cujusmodicunque fuerit, si eam nulla veri sive loci, sive temporis circumscriptio exæquare, metirive potest; ejusmodi profectò est, in qua quidquid contra Infinitum, quod Categorematicum vocant, acutius, ac firmius excogitarunt recentes philosophi; vel hebetetur, vel infringatur. Sed hac de re tota aliquid apertiùs dicam in physicis, cum Loci, & Temporis naturam, ex ejusdem Scholæ disciplina, explicabo. Hæc interea de Immensitate, ac de Æternitate Dei: quorum illa est summa: Deum, ut est verum ipsum Esse in sese, maximè exemptum, nec alligatum ulli cuipiam sive loci, sive temporis differentiæ, æqualiter se habere ad omnia & loca, & tempora: ut sit nimirum in omnibus, & idem quasi non sit, quòd in ipsis est modo prorsus exempto: eo fere modo, quo centrum sphæræ, seu quasi spheræ infinitæ ad omnes sphæræ partes se habet æqualiter, quòd in unaquaque designari, & constitui potest: estque idem in quovis sphæræ puncto, & idem quasi non est, quòd est exemptissimum, nempe, non tanquam pars sphæræ, sed tanquam centrum. Loca verò, ipsa & tempora, ut certis sunt quæque spatiis definita, & comprehensa; quamvis præsentia physicè sint singula toti illa quidem Immensitati, hæc autem Æternitati Divinæ; distant tamen invicem: neque enim singula sunt aut ubique, ut Immensitas; aut semper, ut Æternitas Dei: sed unumquodque in sua propria differentia, & mensura. Eo pariter modo, quo partes sphæræ supra descriptæ, tametsi centrum singulæ tangunt, nam centrum, ut ponimus, in singulis est; discretæ sunt inter se tamen, quòd toti quidem centro cohærent singulæ, non autem in tota sphæra. Ac Deus, ut est singulis in locis, ac temporibus, non ideo præsens dicitur universis; quòd, ut sunt in se ipsis, & singula loca sint ubique,

que, & singula tempora sint semper; sed primùm, quòd Deus sit præsens rebus, non ut manens in ipsis, sed ut manens in sese: in se autem æque habet omnia: secundò, quòd loca quidem, & tempora sint intra certos modos, ac differentias; Deus verò sit extra hæc omnia: quare singulis in locis, ac temporibus, a loco, & tempore exemptissimus sit: ut autem exemptissimus est, ad omnia & loca, & tempora se habeat æqualiter: &, quod consequens est, in singulis præsens sit universis. Sed hæc hactenus: recole quæ dicta sunt n.19. & 25.

PROPOSITIO VII.

Deus Intelligit.

28. INtelligentem esse Deum, iisdem fere argumentis conficiebat Investigationis Schola Mosaica, quibus deindè usa est Christiana: rerum scilicet effectione, conservatione, gubernatione. Tum illud addebat ex ipsa Hypothesi proximè ductum, quod, non utcunque Divinam intelligentiam, sed ejus etiam præstantiam, atque excellentiam ostenderet. Sic enim concludebat: Quidquid perfectionis habet ipsum Esse extra se: habet in se quoque: & ita quidem habet in sese; ut, si illud, quod ipsum Esse habet in sese, cum eo conferatur, quod idem habet extra semetipsum; in altero alterius similitudo quædam pertenuis, umbra, vestigium dumtaxat appareat. Cum igitur ipsum Esse, ut extra se est in homine, & in angelo, intelligens sit, ac rerum scientiam habeat; consequens est ipsum, ut est etiam in sese intelligens esse: eamque rerum scientiam habere; ut, quæ est in homine, & in angelo ei comparata, scientiæ vix instar aliquod habeat, ac fere nomen ipsum scientiæ deperdat. Quæ regula est Augustini a nobis tradita, & explicata p.1. num.13. & 22. *Deus ipsum Esse* se vocari respondit: ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea, quæ facta sunt, non sint. Illi non comparata sunt, quoniam

niam ab illo sunt: Illi autem comparata, non sunt, quia verum Esse, incommutabile Esse est: quod Ille solus est, est enim Est. Nominatim verò de scientia Conf. l.11. c.4. n.6. Scientia nostra, inquit, tuæ comparata, ignorantia est. Idem, ut vidimus præscribunt nobis reliqui Patres: præcipuè Cyrillus, & Anselmus citati. Quæ doctrina ducta est ex antiquis Ebræis, ex quibus etiam Rab. Moses Majem. in More Nevoch. l.1. c.56. ita scripsit. *Ens, vel Existens, & reliqua, quæ de Deo dicuntur, ut, Volens, Sapiens, Potens, Vivens de Deo, & rebus creatis merè æquivocè, & ὁμωνύμως dicuntur, non autem analogicè.*

29. In eo autem Zetetæ veteres Hominis, & Angeli scientiam a Dei scientia differre, ac deficere volebant, quòd in homine, & in angelo cognitio, imago quædam est rei cognitæ: nec cognitio est veritas rei; sed res, si ita se habet, uti exprimitur, atque enunciatur; Veritas est cognitionis. Contra verò in Deo cognitio, qua res creatas intelligit, non est earum imago: sed res ipsæ creatæ ejus quædam imitationes, atque imagines sunt: nec cognitionis Divinæ veritas est in rebus; sed in cognitione veritas rerum. Quam itidem doctrinam adoptarunt Zetetæ Christiani, ut est manifestum ex iis, quæ supra retuli, cum Zeteticam Hypothesim sacrorum Scriptorum auctoritate munirem: Huc ex iis omnibus revoca, quæ scribit Anselmus Monol. c.31. *Omnia hujusmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, idest, cogitamus, similitudines, & imagines sunt rerum, quarum verba sunt: & omnis similitudo, vel imago tanto magis &c. Quid igitur tenendum de Verbo, quo dicuntur, & per quod facta sunt omnia? Erit, an non erit similitudo eorum?* His ita respondet: *Quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur, in picto verò similitudo, sive imago illius veritatis; sic existendi veritas intelligatur in Verbo, cujus essentia sic summè est, ut quodammodo illa sola sit; in his verò, quæ in ejus comparatione quodammodo non sunt, & tamen per illud, & secundùm illud facta sunt aliquid; aliqua imitatio illius summæ essentiæ perpendatur.... Satis manifestum est, in Verbo, per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem; sed veram, simpli-*

ſimplicemque eſſentiam: in factis verò non eſſe ſimplicem, abſolutamque eſſentiam, ſed veræ illius eſsentiæ vix aliquam imitationem. Quid quod habet cap.36. *Nulli dubium eſt, creatas ſubſtantias multo aliter eſse in ſe ipſis, quàm in noſtra ſcientia. In ſe ipſis nanque ſunt per ipſam ſuam eſsentiam: in noſtra verò ſcientia, non ſunt earum eſsentiæ: ſed earum ſimilitudines. Reſtat igitur, ut tanto veriùs ſint in ſe ipſis, quàm in noſtra ſcientia; quanto veriùs ſunt alicubi per ſuam eſsentiam, quàm per ſuam ſimilitudinem. Cùm ergo & hoc conſtet, quia omnis creata ſubſtantia tanto veriùs eſt in Verbo, ideſt, in intelligentia Creatoris, quàm in ſe ipſa; &c.* conſequens eſt, illud inter intelligentiam Dei, & intelligentiam noſtram intereſſe; quòd noſtra quidem intelligentia imago quædam, & ſimilitudo ſit rei cognitæ; Dei autem intelligentia ſit ipſa Veritas rerum. Sed & aliquid repetere libet eorum, quæ ſupra excripſimus ex D. Thoma. Illud præ cæteris. *Sicuti ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus; ita ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales, & menſura ipſarum*. 1.p. q.14. a.8. ad 3. & illud. *Eſse Dei eſt ipſum ſuum intelligere: & ſuum intelligere eſt menſura, & cauſa omnis alterius eſse, & omnis alterius intellectus: & ipſe eſt ſuum eſse, & intelligere. Unde ſequitur, quòd non ſolùm in ipſo ſit Veritas; ſed quod ipſe ſit ipſa ſumma, & prima Veritas*: q.16. a.5. Tum quod eſt 1. 2. q.93. a.1. ad 3. *Ratio intellectus Divini aliter ſe habet ad res, quàm ratio humani intellectus. Intellectus enim humanus eſt menſuratus a rebus, ut ſcilicet conceptus hominis non ſit verus propter ſe ipſum, ſed dicitur verus ex hoc, quod conſonat rebus: ex hoc enim, quòd res eſt, vel non eſt; opinio vera, vel falſa eſt. Intellectus verò divinus eſt menſura rerum: quia unaquæque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum: & ideo intellectus Divinus eſt verus, ſecundùm ſe: unde ratio ejus eſt ipſa Veritas*. Hæc Anſelmus, & Thomas ex Auguſtino, Dionyſio Areop. aliiſque antiquis Patribus: ii verò ex Schola Zetetica. Quæ, quoniam eo nituntur omnia, quod initio poſitum eſt, eſſe Deum, Veritatem ipſam ſeparatam a rebus, per ſeſeque ſubſiſtentem: Verum extra omnia vera: Centrum verorum omnium; notiones hás primò,

quasi simpliciter collocatas, subtiliùs, atque distinctiùs hic persequar: quo de mente Zetetarum veterum dubitari non possit; Christianisque doctoribus in promptu sit, de illorum doctrina, a me hoc Systemate comprehensa, quidquid cuique videbitur, judicare.

30. Veritatem ipsam exemptam, ac per se subsistentem; Verum extra omnia vera; Centrum verorum omnium, cum Deum definiunt Zetetæ; quid intelligi velint, non obscurè significant hac primùm similitudine. Ut enim, inquiunt, si circa punctum aliquod, seu frustulum æris, quod centri instar habeat, faculam aliquam accensam in gyrum quoquoversus agas, & circumducas; umbra sphæram efficiat; nec aliud porro sit ea sphæra tota, quàm punctulum illud, partim quidem, ut est in se ipso, partim verò, ut est extra sese in umbra sui; sic Deus, qui ipsum Esse, & Veritas est; foras quodammodo spectans, seseque extra se fundens, non se ipsum verè, sed similitudinem aliquam sui rerum naturis impertit: eoque suam veluti umbram quoquoversus emittente, sphæra Totius existit: quæ nihil aliud est, quàm verum ipsum Esse, ut est in se, & ut est extra se; centrum, & lineæ; veritas, & umbra: Creaturæ quidem lineæ, atque umbræ; Deus autem centrum, ac veritas. His generatim expositis, tum singula percurrunt & loca, & tempora, & angelos, & homines, immo & liberas ipsas eorum actiones, quæ, ut lineæ quædam sunt in sphæra entis, ac sphæra veri, seu quod idem est, in sphæra totius; umbræ sunt divinorum, ut ipsi ajunt, dum metaphoricè de more loquuntur, iisque singulis sua propria veritas exempta respondet in centro: sic, ut in centro possint singula cognosci: & multo quidem melius in centro, quàm in se ipsis: quoniam, quid quæque res sint, ubi sint, quando sint, unde sint, quomodo sint, ac reliquum, quodcunque ipsis accidat, multo melius apparet in centro, in quo ista omnia sunt veritas; quàm in rebus ipsis, in quibus ista omnia sunt umbra. His verò cùm generatim, atque universè, tum sigillatim stabilitis; in explicandis Divinæ scientiæ proprietatibus, atque excellentiis minùs oppidò laborant, quàm cæte-

cæteri. Si enim Deus est, Totum extra Totum, ideſt, centrum Totius; in eoque ſunt omnia, non ſolùm ut in cauſa efficiente; ſed etiam, ut in ipſa Veritate per ſe ſubſiſtente; ita, ut quidquid apud nos eſt in loco, & tempore; apud Ipſum ſit exemptum a loco, & tempore; quidquid hìc eſt in eſſe quaſi adumbrato, ibi ſit in eſſe vero; cum ſcientia Dei ſit ipſemet Deus, quippe qui eſt ſimpliciſſimus, & id omne, quod habet, illud eſt; ſequitur, ut hoc demum ſit ſcientia Dei; exempta ſcilicet, in ſeſeque ipſa, ac per ſe ſola ſubſiſtens Veritas rerum omnium.

31. Age igitur primò: ſi Veritas intelligens ſit, ajunt Zetetæ, in quo verum cognoſcat? Procul dubio, non niſi in ſe ipſa: quorſum enim Veritas ſe quærat, extra ſe ipſam, ac rerum notitiam mendicet ex Falſitate? Deus igitur, quæ prima Divinæ ſcientiæ dos eſt, atque excellentia, verum non niſi in ſe ipſo cognoſcit. Quod quidem, ut veteri Scholæ Zeteticæ propior fuit, luculenter expreſſit Dionyſius Areop. cap.7. de Div. nom, §.3. *Divina mens*, inquit, *omnia continet cognitione ab omnibus* ἐξῃρημένῃ *maximè exempta*, ſi maximè exempta eſt, res creatæ nihil plus aliquid ſunt, quàm nudi termini: pergit verò S. Doctor, *ſcientiam omnium in ſe antehabet*: *ſciens, & producens angelos, antequam eſſent*. Nimirum, quòd, antequam angeli eſſent, erat in Deo veritas illa exempta, & primaria, qua ex æterno verum fuit, Angelos fore. Tum addit: *Atque hoc, ut opinor, Scriptura docere nos voluit*, cum ait Dan. XIII. 42. Qui noſti omnia, antequam fiant. *Non enim ex iis, quæ ſunt, ea quæ ſunt addiſcens novit divina mens; ſed ex ſe ipſa, & in ſe ipſa, ſecundùm ſcientiam, quæ eſt cauſa omnium, habet prius cognitionem, & eſſe rerum, & collecta tenet omnia*. Collecta tenet omnia, tanquam Unitas numeros, ac Centrum lineas. Habet autem cognitionem, & eſſe rerum in ſe ipſo anticipatum per ſcientiam: quia ſcientia Dei eſt verum ipſum eſſe rerum, ſeu veritas, in qua utique veriùs ſunt, quam in ſe ipſis. Concludit autem. *Igitur ſe ipſam Divina ſapientia cognoſcens cognoſcit omnia: ſine materia, quæ materiata ſunt; indiviſibiliter, quæ indiviſa; ac multa, ſingulariter, in ipſo uno omnia*

&

& cognoscens, & producens: loquitur fortasse de veritate exempta, qua ex æternitate omni verum fuit, res aliquando extituras: quæ quomodo existat in Deo, melius declarabitur in Systemate de Deo Trino: certè his illa subjicit: *scit omnia, tanquam ex se ipso existentia, & quæ in se ipso antea extiterint: & non ex existentibus ipsorum cognitionem accipiet: sed & his singulis ipsorummet, & aliis aliorum cognitionem largietur... Ita igitur Deus existentia cognoscit, non scientia existentium, sed scientia sui ipsius*. Quod ipsum significat cap.5. de Mystica Theol. ubi ait, *Deum non nosse entia, ut entia sunt*. Nimirum non ratione entis quasi adumbrati, cujusmodi est ens prædicamentale, quo res creatæ sunt, & dicuntur entia in se ipsis; sed ratione entis veri, quod Dionysius sæpe vocat supra ens, quodque res procreatæ habent extra se ipsas in Centro, hoc est, in ipsa Veritate, quæ Deus est. Atque hæc est interpretatio Maximi in Schol. *Quæcunque existunt*, inquit, *hoc est res creatæ, supra naturam suam extendi propria intelligentia nequeunt. Quare consentaneum est, eas in se ipsis respicientes Divinam ignorare naturam, secundùm id, quod est in se ipsa. Sic igitur & natura Divina se ipsam intuens non novit in se ipsa, esse entia secundùm rationem essentiæ*, prædicamentalis, & adumbratæ; *hoc enim significavit iis verbis, quatenus entia sunt: quoniam super omnia entia, & ipsum esse possidet supra omnem essentiam*. Dionysius, ut a me notatum est par.1. in fine num.22. interdum quidem ait, Deum esse verè, & propriè, non item creaturas; interdum verò è contrario, creaturas esse verè, & propriè, dicit, secus autem Deum. Quibus, nec secum ipse, nec contra nos pugnat: ut enim animadverti loco cit. Tam Deum distinguis, &, ut par est, segregas ab omni re alia, si, cum Deum verè esse affirmes, quod Deus non est, infra rationem veri esse deprimas; quàm, si, cum affirmes verè esse res creatas, quod Deus est, supra rationem veri esse evehas. Quod & alii quidam Patres usurparunt, & Dionysius ante alios, locis proximè cit. ad quæ D.Th. lect.3. *Quod dicitur, Deus est sine intellectu, & sine sensu, non est accipiendum secundùm defectum, sed secundùm excessum, quia scilicet omnia*

omnia intelligibilia excedit : sic etiam attribuimus ei irrationale, in quantum est supra rationem ; & attribuimus ei imperfectionem, in quantum est perfectus super omnia, & ante omnia, & attribuimus ei, quod est caligo impalpabilis, & invisibilis ; in quantum est lumen inaccessibile, vel excedens omne lumen, quod a nobis videri potest vel per sensum, vel per intellectum. Quod autem facit ad rem præsentem, pergit Angelicus Doctor in iisdem scholiis. *Divina mens omnia cognoscendo continet per cognitionem separatam ab omnibus &c. primò in se habens omnem scientiam, quàm omnia esse habeant, sicut prius habuit notitiam Angelorum, quàm angeli fierent, & priùs etiam intus in sui dispositione produxit angelos* (dispositio, atque ordo rerum, est verum illud esse, quod exemptum res omnes habent in Centro, ut infra dicemus) *& omnia alia, quàm in propriis naturis essent... quia. sicut supradictum est in cap. de Ente, in ipso Esse divino praexistit omne esse... sicut lumen, si esset cognoscitivum, per se ipsum cognosceret tenebras, non aliunde accipiens tenebrarum cognitionem, quàm a se ipso. Comparatur autem Deus ad creaturas, sicut lumen ad tenebras, propter deficientiam creaturarum a Divino lumine &c.* Doctrinam hanc Zeteticam a Dionysio acceptam propriis etiam operibus Angelicus Doctor intexuit. p.1. q.14. a.5. in corp. *Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt, per essentiam suam. Alia autem a se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.* Zetetæ Veritatem vocant, quod hic S. Thomas vocat similitudinem. Cæterùm & ipsemet Angelicus Doctor q.2. de Verit. ar.11. ad 1. ex Dionysii disciplina fatetur, *Deum nullo modo similem creaturis dicendum esse : sed creaturas similes posse dici Deo... quia homo non dicitur suæ imagini similis, sed e converso.* Quod habet etiam in 1. sent. d.19. q.1. a.2. *Quandoque*, ait, *qualitas aliqua est propriè, & plenè in uno : & in alio est quædam tantùm imitatio illius, secundum aliquam participationem : & tunc illa qualitas non dicitur utriusque, sed ejus tantùm, quod eam plenè possidet. Et tunc illud, quod non plenè habet, dicitur simile ei, quod plenè habet, & non è converso : ut si dicamus, quòd pictura est similis homini, & non è converso. Non enim*

enim dicitur, quod homo sit similis suæ imagini propriè loquendo. Item d.35. ar.4. ad 6. & d.48. ar.1. ad 4. & q.2. de Pot. ar.1. Nunc ad propositum. Quæst.2. de Ver. ar.3. ad 5. ita loquitur: *aliquid intelligitur dupliciter, uno modo in se ipso, quando scilicet ex ipsa re intellecta, vel cognita formatur acies intuentis; alio modo videtur aliquid in altero, quo cognito, & illud cognoscitur. Deus ergo se ipsum tantum cognoscit in se ipso, alia verò in se ipsis cognoscit, sed cognoscendo essentiam suam: & secundùm hoc Phil. dixit, quòd Deus tantùm se ipsum cognoscit, cui etiam consonat dictum Dionysii 7. ca. de div. nom. Deus, inquit, existentia cognoscit, non scientia, quæ sit existentium, sed, quæ sit sui ipsius*. Quæ D. Thomas non solùm didicit ex Dionysio, sed etiam ex Ambrosio, cujus illud est cap.1. in Symb. *Licèt omnia Cælestia, & terrestria, ac minima quæque perspiciat Deus, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur*. Inprimis verò ex Augustino, qui lib.5. de Gen. ad lib. c.15. n.33. *In qua vita*, inquit, *vidit omnia, quando fecit, & sicut vidit ea, ita fecit: non præter se ipsum videns; sed in se ipso ita enumeravit omnia, quæ fecit.... utique ibi meliora, ubi veriora... nihil horum, quæ fecit existens, & omnia primitus habens &c.* & lib. de 83. Qu. q.46. n.2. ait: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat. Nam hoc opinari sacrilegum est*; præterea in undecimo libro de Civ. c.7. duplicem cognitionem distinguit, matutinam, & vespertinam his verbis. *Cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm, cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est*. Decolor est, Augustini sententiâ, cognitio illa, qua res in se ipsis cognoscuntur: ac propterea a Deo removenda. In eandem sententiam cap.29. loquens de Angelis. *Ipsam quoque*, inquit, *Creaturam melius ibi, hoc est, in sapientia Dei, tanquam in arte, qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt: ac per hoc & se ipsos ibi melius, quàm in se ipsis*. Tum paucis eandem sententiam persecutus ita concludit: *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas, rationesque suas, idest, secundùm quas facta sunt, incommutabiliter permanentes; aliter in se ipsis;*

illic

illic clariore, hic obscuriore cognitione, velut artis, atque operum. Tandem lib.6. de Trin. c.10. n.11. Verbum Dei nominat, *artem quamdam omnipotentis, atque sapientis Dei, plenam omnium rationum viventium incommutabilium: & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipsam: & ideo, cum decedant, & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei.* Eandem doctrinam nobis repræsentat Anselmus Monol. c.9. & 33. præcipuè vero 34. ubi illa: *Quidquid igitur factum est, sive vivat, sive non vivat, aut quodcunque sit in se, in illo est ipsa vita, & veritas. Quoniam autem idem est summo spiritui scire, quod intelligere, sive dicere: necesse est, quòd eodem modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit, aut intelligit. Quemadmodum igitur omnia sunt in Verbo ejus vita, & veritas, ita sunt in scientia ejus*. Hinc illud, quod supra etiam citatum est: *Creatæ substantiæ multo aliter sunt in se ipsis, quàm in nostra scientia. In se ipsis nanque sunt, per ipsam suam essentiam: in nostra verò scientia, non sunt earum essentiæ, sed earum similitudines. Restat igitur, ut tanto veriùs sint in se ipsis, quàm in nostra scientia; quanto veriùs sunt alicubi per suam essentiam, quàm per suam similitudinem. Cum ergo & hoc constet, quia omnis creata substantia tanto veriùs est in Verbo, & intelligentia Creatoris, quàm in se ipsa; quanto veriùs*, est ipsum Esse, & Veritas, quàm ejus adumbratio; dubium esse non potest, quin Deus, ut ait Augustinus, *nihil extra se positum intueatur*. At enim rerum omnium creatarum, quippe quæ radii quidam sunt in sphæra Totius, duplex est esse: sunt enim in se ipsis, & sunt in centro: æquum est igitur eas a Deo, qui perfectissimè intelligit, & in se ipsis, & in centro cognosci: aliquid igitur etiam extra se positum intuetur. Ego verò, quod ex Schola Zetetica nuper asserui, Deum non nisi in se ipso vera cognoscere, non ita accipi volo, quasi res singulas, cujusmodi in se sunt, non perfectè intelligat: sic enim etiam D. Thomas Augustini locum interpretatur p.1. q.14. ar.5. ad 1. *dicendum, quòd verbum Augustini dicentis, quòd Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se intueatur, sed quia id, quod*

S *est*

est extra se ipsum, non intueatur, nisi in se ipso. Illud igitur dumtaxat affirmo, res creatas, Divini contuitùs, atque intellectùs, nihil plus esse, quàm terminos: rationem formalem cùm subjectivam, ut ajunt recentes theologi in scholis, tum objectivam, cur intelligantur, ab ipsis removeo, in Deoque totam repono. Quamvis enim, ut rectè objiciebas, sint & in se ipsis, & in centro; quia tamen, ex Zetetica Hypothesi, Esse non distinguitur, sed ejus tantummodo quasi status, quod Catholicè explicare conatus sum p. 1. n. 1. & 22. idest, illud idem, quod sunt in se ipsis, sunt in centro, nimirum in mente Dei; sed in se ipsis habent esse quoddam falsum, & quodammodo adumbratum; in centro autem habent, ut Augustinus loquitur *esse verum, esse sincerum, esse germanum*; ideo in centrum ipsum, quod earum Veritas est, referenda est illa ratio, qua intelliguntur, & quæ quodammodo cognitionem movet. Nec verò mihi nunc illud opponas, quod, ex Ebræorum itidem disciplina, dictum est a me non semel, res creatas, ut duplex est earum esse, sic duplicem etiam veritatem habere, abstractam quidem, atque immutabilem in centro; contractam verò, atque mutabilem in se ipsis; quo nempe non status tantummodo, sed Esse, & Veritas planè distinguitur. Ne, inquam, id mihi opponas: nam profectò, nisi antiquos illos Zeteticæ scholæ magistros tam planè stupidos facis, ut non modò non cohærentia inter se dixerint, sed etiam prorsus contraria; id ita est intelligendum; ut duplex quidem rerum omnium esse, ac veritas sit: duplex, inquam, sed statu tantùm, modoque, & quasi habitudine. Quod quale sit, liquet exemplo picturæ, vel statuæ: Moses enim v. g. non distinguitur, aut dividitur ullo pacto: sed ipse ille idem, qui est in se ipso, est quodammodo extra se ipsum in sua imagine: in se ipso quidem verè, extra se autem falsò. Non absimili planè ratione, creata res quælibet non alia est in se ipsa, alia verò in mente Divina: sed aliter est in mente Divina, aliter in se ipsa: in mente Divina quidem, est vita, & veritas, hoc est, esse immutabile, exemptumque & loco, & tempori; in se ipsa autem, mors, & umbra, hoc est, esse mutabile

bile illigatum & loco; & tempori. Porro, cum illud idem prorsus, quod est extra centrum in statu umbræ, sit etiam in centro in statu lucis; hoc Ebræi veteres cognosci a Deo volebant, ratione hujusce status, non autem ratione illius: quà nempe lux, & veritas; non quà umbra, & falsitas est. At instas, urges: res creatæ, nihil ne sunt in se ipsis? Minimè verò. Quid igitur sunt in se ipsis? Sunt illud ipsum, quod sunt in mente Dei: sed id, quod sunt; in mente Dei quidem est re, & veritate; in ipsis autem similitudine tantùm, & quadam veluti adumbratione. Quid igitur; Abraham, Isaac, Jacob umbræne hominum erant? Haud quaquam sanè. Veri homines erant, ut jam supra responsum est: sed hoc est verus homo, figura quædam, simulacrum, figmentum ejus esse, ac veritatis, quæ ipsi respondet in centro. Atque, ut Scholæ Zeteticæ placet, hoc est universè, quidquid est; in esse quidem mutabili, Umbra veritatis suæ; in esse autem immutabili, umbræ suæ Veritas. At umbras has in se ipsis a Deo cognoscine Zetetæ putarunt? Utique, cognosci: sed ratione lucis, hoc est, veritatis. *Lux enim*, dicebant ii, ex iisque Dionysius, *non aliunde, quàm ex luce tenebras novit*. Unde illud D. Thomæ supra relatum: *lumen, si esset cognoscitivum, per se ipsum cognosceret tenebras*. Atque id genus cognitio, rerum, ut in se ipsis sunt, cognitio dici potest, D. Thomæ sententiâ; modò res intelligas, ut sæpe dictum est, nihil plus esse, quàm terminos: sic enim habet Angelicus Doctor q. cit. a.6. in fine corp. *Deus non solum cognoscit res in se ipso, sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura: & tanto perfectiùs, quanto perfectius est unumquodque in ipso*. At, quòd res sint meri termini cognitionis Divinæ, qui probabant Zetetæ? Rei hujus hæc primò ab iis est adhibita ratio, quam supra ostendi: ipsa scilicet Veritatis dignitas, & natura; cui enim ex se ipsa apta sunt omnia, quæ ad perfectissimam, atque absolutissimam rerum scientiam sunt necessaria; eam indecorè, atque absurdè fingas, aliud quidpiam a se ipsa de re ulla interrogare, & consulere; extra se verum inquirere: & quodammodo emendicatis uti intelligendi rationibus. Dein-

de, quod quidem minus ſpecioſum, ac ſplendidum eſt; ſed firmum, & ſolidum magis: Deus, ajebant, ut poſitum eſt, eſt ipſa Veritas rerum, ab iis penitus exempta, & abſtracta: ſi igitur ſcientia Dei eſt hæc ipſa Veritas; ab iiſdem pariter eſt penitus exempta, & abſtracta: quare nec eas reſpicit, niſi tantùm, ut terminos. Præterea, quod tamen fere idem eſt: Eſſe maximè exempti propria intelligendi ratio eſt maximè exempta: ergo non, niſi modo maximè, exempto, res intelligit: &, quod conſequens eſt, non niſi in ſe ipſo. In hoc autem, uti etiam in reliquis, ſibi mirè cohærent. Nam, ſi Deus, ut jam eſt demonſtratum, eſt quidem ubique, & ſemper, ſed, modo maximè exempto; quia nempe locis, & temporibus omnibus præſentiſſimus eſt, non ut in illis, ſed ut in ſe ipſo; ſic etiam res creatas prorſus omnes intelligit: nec ſolùm univerſas, ſed etiam ſingulas: modo tamen maximè exempto: quòd nimirum eas non in ipſis, ſed in ſe dumtaxat intelligit. Atque hoc illud eſt, quod horum omnium in Schola Inveſtigationis, erat notio ſimillima, iiſdemque inſignita, atque expreſſa ſymbolis: Nam, ſi Immenſitas, & Æternitas, apud antiquos Ebræos, ſunt; totius ſphæræ, hæc quidem moventis, illa verò manentis, plena, perfectaque, in ſingulis ipſarum partibus, & maximè exempta poſſeſſio; id, eorundem definitione, eſt Dei ſcientia; totius ſphæræ veri plena, perfectaque in quolibet vero, & maximè exempta poſſeſſio. Porro Veri, pariter, ut Entis, ac Totius, erat ea notio metaphorica; ſphæra intelligibilis, cujus Centrum eſt ubique, Circumferentia nuſquam. Centrum autem, ut in ſphæra Entis, ipſum Eſſe; ſic in ſphæra Veri, ipſam Veritatem ponebant. Quæ Veritas exempta, per ſeſeque ſubſiſtens, cum ſit ipſamet ſcientia Dei, ex eo ſic concludebant; Deum, ut in ſingulis eſt univerſa; ſic in ſingulis univerſa cognoſcere: ac duo hæc eodem fundamento niti; Deum ſcilicet, & eſſe in rebus, & eas cognoſcere modo prorſus exempto, nempe in ſe ipſo. Permirum verò eſt, ut hæc, quæ de ſcientia Dei modo diſputavimus, ex Schola Zetetica, non ſolùm Chriſtiani Patres, ut vidimus; ſed ſchola etiam Platonica adſciverit,

atque

atque adoptarit. Plotinus Enn. 5. l. 9. c. 5. de mente Divina ita loquitur: *si quid intelligit, a se ipsa intelligit: si quid habet, a se ipsa habet. Quòd, si a se ipsa, & ex se ipsa intelligit; ipsamet est ea, quæ intelligit*: nempe esse ipsum exemptum, ac veritas rerum. Pergit autem: *aut enim alibi existentia illa intelligit; aut in se ipsa: ut quæ idem, atque ipsa sint. Alibi porro ut sint, fieri non potest. Ubi enim erunt? Quare & se ipsum, & in seipso oportet esse: non enim in sensibilibus erunt, ut aliqui existimant: nam unumquodque primum, non sensibile est. Quæ enim in his forma, in materia simulacrum est entis*, non verum, atque germanum ens. Mox & illam rationem subjicit: *Præterea si necesse est, mentem esse universi hujus artificem, illa certè, non ista, quæ in eo, quod nondum est, existunt, intelliget; ut ipsum producat. Igitur ante mundum illa sint, oportet; non tamquam figuræ impressæ ab aliis; sed, ut archetypa, & prima, & ut ipsa mentis substantia.* Sed locum hunc concludat Alcinous, qui libri illius, quo Platonica dogmata complexus est, cap. 10. ita scribit: *Cum sit prima mens omnium præstantissima; oportet præstantissimum etiam intelligibile illi esse propositum. Nihil autem potest habere se ipsa præstantius. Seipsam igitur, & sui ipsius notiones semper intelligit.*

32. Hæc hactenus: nunc, quæ alia est Divinæ scientiæ dos, & præstantia, ut scilicet causa sit rerum omnium; eam quo pacto explicarent antiqui Investigatores, paucis expono. Nobis enim id ipsum ferme in hanc rem tradiderunt, quod p. 1. q. 14. a. 8. ad 3. scriptum a S. Thoma supra exhibuimus: Cognitionem Dei ita se habere ad res cognitas, sicuti res ipsæ cognitæ se habent ad cognitionem nostram: ut, quemadmodum res cognitæ sunt causa, & mensura cognitionis nostræ, cognitio autem nostra est earum imago; sic cognitio Dei causa sit, & mensura rerum cognitarum, res verò ipsæ cognitæ ejus quædam dumtaxat imagines sint. Id autem ea ratione planum faciebant: Scientia Dei est ipsum Esse, ut est in sese: hujusce autem scientiæ termini, hoc est, res creatæ, sunt Esse, ut est extra se ipsum: cum igitur, ut habet Hypothesis, ipsum Esse in semetipso sit Veritas, extra se au-

se autem imitatio, atque umbra; nec ex imitatione, atque umbra sit Veritas; sed contra, ex Veritate sit imitatio, atque umbra; sequitur, res creatas in scientia Dei Veritatem esse; in se ipsis imitationem, atque umbram: nec ex eo, quod sunt in se ipsis esse in scientia Dei; sed ex eo, quod sunt in scientia Dei esse in se ipsis: ut non ipsæ res scientiæ, sed ipsarum rerum causa, & mensura sit scientia. Veterum Investigatorum vestigiis hac etiam in re insistunt Zetetæ Christiani. Dionysius cap. 7. de div. nom. *tùm sapientiæ*, inquit, *ipsius universæ; tum mentis universæ, & rationis, & sensus universi, divina sapientia & principium, & causa, & productrix, & perfectio, & præsidium, & terminus dicitur*. Quo in loco Maximus, ut aliquid subobscurum tradit, cum esse illud exemptum, quod res habent in Deo, ab ipsa earum notione distinguit, quod quidem cognitione fieri posse non nego; sic illud disertè affirmat; *eatenus intelligit entia, quatenus se ipsum intelligit... ipsa enim Dei notio eorum, quæ sunt, est productio*: ostenditque clarissimè, Dei sapientiam causam esse res omnes antecedentem; neque ab illis originem capere, sed eas potius ab illa, tanquam a causa proficisci. Nec minus clarè Augustinus; nam primum lib.7. Conf. c.4. n.6. *Et quid*, inquit, *improvisum tibi, qui nosti omnia, & nulla natura est, nisi quia nosti eam?* Deinde l. 12. c.38. n.53. *Nos itaque ista, quæ fecisti videmus, quia sunt? Tu autem, quia vides ea, sunt. Et nos foris videmus, quia sunt, & intus, quia bona sunt: tu autem ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda*. Nempe in ipsa eorum Veritate exempta, ac per se subsistente, qua verum primariò est, non solum quid quæque res sit, sed ubi, & quando futura sit, ut supra indicavimus. Præterea Augustinus idem tract. 37. in c. 8. Johan. n,8. *Non enim*, inquit, *quia fecit, didicit, sed, quia noverat, fecit. Nobis, quia facta sunt, nota sunt: illi, nisi nota essent, facta non essent*. Item lib.XI. de Civ. c.10. n.3. *Cæterùm dictus est in scripturis sanctis Spiritus sapientiæ multiplex, eo quod multa in se habeat: sed quæ habet, hæc & est, & ea omnia unus est... Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi*

esset

esset; Deo autem, nisi notus esset, esse non posset. Nec non lib. 6. de Trinit. c.10. n.11. *primus, ac summus intellectus &c.* Facit autem maximè ad id, quod ago, quod scripsit lib.15. c.13. n.22. in hæc verba: *Nec ista ex aliquo tempore cognovit, ut nosset: sed futura omnia temporalia, atque in his etiam, quid, & quando ab illo petituri fueramus, & quos, & de quibus rebus, vel exauditurus, vel non exauditurus esset, sine initio ante præscivit. Universas autem creaturas suas, & spiritales, & corporales, non, quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit, quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata, quam creanda: non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis: sed illis existentibus, sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit, ut erat*. Augustini sententiâ, universas creaturas suas, atque in his etiam quid, & quando ab illo petituri fueramus, & de quibus rebus futurum erat, ut exaudiremur, non, quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit: excepto quidem peccato: siquidem, ut ait ipse lib.5. de Civ. c.10. n.2. totaque simul Schola Zetetica cùm Mosaica, tum Christiana. *Non ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit: immo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit*. Nimirum peccati ratio est maximè dispar: nam res cæteræ sunt in Deo, & veriùs quidem in Deo, quàm in se ipsis: secus autem peccatum, quod, quia ab ipso Esse, & Veritate deficit, ideo peccatum est. Sed hæc infra: nunc quod erat propositum. Augustinum imitatus est Boethius, apud quem l. 5. de Consol. prof. 3. ita legimus: *Jam verò, quàm præposterum est, ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur? Quid est autem aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam sunt eventura, providere, quàm putare, quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ?* Tum Prof. 6. *Quam comprehendendi omnia, visendique præsentiam, non ex futurarum proventu rerum, sed ex propria* Deus *simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque solvitur, quod paulo ante posuisti, indignum esse, si scientiæ* Dei

cau-

causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientiæ vis præsentaria notione cuncta complectens, rebus modum omnibus ipsa constituit, nihil verò posterioribus debet. Qua ultima particula non veræ dumtaxat causæ rationem, sed omnem prorsus, ut Schola loquitur, prioritatem rebus a Deo cognitis, ac prævisis adimere videtur. Augustinum præterea imitatus Gregorius M. cum scripsit lib.20. Moral. c.23. *Nam & quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt: sed ideo sunt, quia videntur.* Imitatus Anselmus, qui Monolog. cap. XI. de Dei, creatique cujuspiam artificis scien-scientia loquutus, iisque simul comparatis, ita concludit: *Quapropter ea, quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid, quod non sunt per illam. Quæ verò per istam fiunt, penitus non essent, nisi essent aliquid, quod non sunt per ipsam.* Idem, quod spectat ad malum, eam reddit rationem, quam supra attigimus: sic enim scribit q. 1. de conc. præsc. & lib. arb. c.7. *Si Deus a rebus habet scientiam; sequitur, quòd illæ priùs sint, quàm ejus scientia, & sic a Deo non sint, a quo nequeunt esse, nisi per ejus scientiam. Si verò quæcunque sunt, a scientia Dei sumunt essentiam; Deus factor est, & auctor malorum operum... Hæc autem quæstio facilè solvi potest, si prius cognoscitur bonum, quod est justitia, verè aliquid esse; malum verò, quod est injustitia, omni carere existentia. Quod in tractatu de casu diaboli: & in libello, quem de conceptu virginali titulavi, apertissimè monstravi. Non enim est injustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantùm absentia debitæ justitiæ; nec est nisi in voluntate, ubi debet esse justitia.* Sed Augustinum imitatus præ cæteris Thomas Aquinas, qui p.1. q.14. a.8. ad 1. refellit, seu potius in alium sensum ab eo, quem præsefert perducere nititur, quod scripsit Origen. super epist. ad Rom. *Non propterea aliquid fore, quia id scit Deus futurum, sed, quia futurum est, ideo sciri a Deo, antequam fiat.* Loquutumque dicit Origenem, considerata solius scientiæ ratione: quæ, ut mera scientia est, utique efficientiam, efficacitatemque non habet, nisi adjungatur voluntas: quæ accedere intelligitur, nostro cogitandi more, ubi scientia sit veritas rei: nec veritas qualiscunque, sed qua verum sit ab-
straćtè,

ſtractè, & primariò, rem extituram: ut infra explicabimus. Scribit verò Angelicus idem Doctor in eodem art. ad 3. *ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus; ita ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales, & menſura ipſarum* 1. 2. q.2. a.3. c. *Res cognita aliter comparatur ad cognitionem Divinam, & aliter ad cognitionem humanam. Humana enim cognitio a rebus cognitis cauſatur: ſed Divina cognitio eſt cauſa rerum cognitarum*. Idemque ſcribit in 1.ſent.d.19. q.5. a.2. ad 2. d.39. q.1. a.2. ad 2. lib.1. cont.Gent.c.61.n.6. cap.62. n.4. cap.65. n.6. & 8. de Pot. q.3. a.17. ad 19. & 29. q. 7. a.10. ad 5. & alibi paſſim: nempe in quæſtionibus de Veritate, de Anima, Quodlib. &c.

33. Quæres hic autem, utram Dei ſcientiam, rerum cauſam eſſe cenſuerint Zetetæ; ſcientiamne tantùm intelligentiæ ſimplicis, quam dicimus, an verò ſcientiam quoque viſionis? Nam primæ eſt res ordinare, ac diſponere; & voluntatem Divinam quodammodo regere: eo fere pacto, quo architectandi uſum, & operis inſtitutionem ars illa, quæ eſt in artificis mente, gubernat, ac dirigit. Poſterioris autem eſt res eaſdem a Deo jam decretas, & conſtitutas, & ratâ aliquâ temporis parte extrahendas e nihilo, quaſi exiſtentes, ac præſentes ex omni æternitate intueri. Rectè iſta diſtinguis: ſed de Zetetis quidem Chriſtianis tibi jam in promptu eſt, quid judices: inter ipſorum enim teſtimonia hic modò a nobis allata, ut aliqua ſint, quæ ſola ſimplicis intelligentiæ ſcientia, ſine ulla violentia, definias; aliqua certè ita contrahi, & coarctari non poſſe videntur. Quod verò pertinet ad Zetetas Ebræos, ii profectò diſtinctionis hujus, ſeu ſcientiæ duplicis, quod quidem detegere potuerim, non meminerunt. Duplex Totum, Veritatis alterum, alterum Adumbrationis Schola Zetetica ponit: Totum extra Totum, dicit Deum, qui Veritas eſt, & in ſphæra Totius ſe habet, ut centrum: Totum ex Toto, dicit res creatas, quæ adumbratio ſunt Veritatis, & in ſphæra Totius ſe habent, ut radii, ſeu lineæ. Tum eſſe illud exemptum, quod res creatæ habent in Centro, hoc eſt, in Veritate ipſa per ſe ſubſiſtente; pro diverſitate terminorum ipſorum, quos

respicit, qui noster est intelligendi modus, cogitatione distinguit. Sic quidem, ut non modò veritatem Angeli, a veritate Hominis; sed etiam veritatem unius sive Angeli, sive Hominis, a veritate alterius cogitando passim Zetetæ dividant. Quin etiam veritates has ipsas hoc pacto in centro discretas, mente, & ratione subtiliùs iterum persecant: easque interdum quidem Dei notiones, prævisiones, contuitus, interdum verò Dei voluntates, prædestinationes, decreta nuncupant. De his Veritatibus scriptum reliquit Dionysius c.5 de Div. nom. §.8. *Exemplaria verò dicimus, esse rationes in Deo substantificas rerum, & singulariter ante existentes, quas Divinus sermo vocat prædestinationes, seu prædefinitiones, & Divinas, atque bonas voluntates rerum definitrices, & effectrices, secundùm quas, qui est supra substantiam, omnia quæ sunt prædefinivit, & produxit... In uno enim, ut sæpenumero dictum est, omnia quæ sunt, præhabet.* De iisdemque veritatibus loquutus Damascenus orat. 3. de Imag. cap.3. in hæc verba: *Imaginum genus alterum est notio illa, quæ in Deo est, rerum futurarum, nempe consilium ejus æternum, quod semper se habet eodem modo. Deus enim immutabilis est, & consilium ejus principio caret. Quo quidem consilio, quæ ipse ab æternitate constituit, tempore fiunt præfinito. Notiones enim, seu præfinitiones rerum singularum in Deo, sic enim eas S. Dionysius nominat, sunt imagines, & exemplaria eorum, quæ ab ipso sunt profectura. In ejus enim consilio expressæ continebantur formæ, atque imagines rerum, antequam fierent, quæ quidem ab ipso præfinitæ, & sine dubitatione erant futuræ.* De iisdemque in eadem fere verba loquutus Petrus Damiani opuscul. 36. c. 2. ait enim: *Voluntas quippe Dei omnium rerum sive visibilium, sive invisibilium causa est, ut existant: adeo ut condita quæque, antequam ad formarum suarum visibiles procederent species, jam veraciter, atque essentialiter, viverent in sui Opificis voluntate.* Tum illud interpretans in hanc ipsam sententiam, quod est Apocalyp.IV.11. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt;* ita loqui pergit: *Priùs dicitur, quia erant, & postmodum fuisse creata: quia, quæ foris expressa sunt per conditionem operis, jam intra erant in providentia, & con-*

& consilio creatoris. Porro veritates hæ universæ, sive, ut ita loquar, simplex, atque individua veritatum istarum omnium complexio, quas aliquando quidem notiones, aliquando autem voluntates appellant Zetetæ; ea demum est, dispositio, descriptio, distributio, series, atque ordo rerum, cujus sæpissimè meminerunt: ac de quo plura tradidit ex ipsorum disciplina Augustinus in libris de Ord. illa præcipuè l.1. c.7. n.17. *Deus verè amat Ordinem ... ab ipso manat, & cum ipso est*. & cap.10. n.28. *Ordo est, per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit*. Nempe in ordine efficacitas summa: quia, nostro intelligendi more, complexio quædam est earum veritatum, quibus ex omni æternitate abstractè, & primariò verum fuit, quid quodque futurum esset in tempore, ubi, quando, quibus causis proximis, liberisne, an necessariis, quibus adjunctis, & circumstantibus, exiturum: quæ omnia, si non ita essent in tempore, uti fuerunt in æternitate; neque status hic noster, qui status est temporis, status esset adumbrationis; neque status Divinus, qui status est æternitatis, status esset veritatis: quæ sunt contra Hypothesim jam stabilitam. Hinc Augustinus l.2. c.19. n.51. *Promittitur nobis*, inquit, *adspectus pulchritudinis, cujus imitatione pulchra, cujus comparatione fœda sunt cætera. Hanc quisquis viderit, quando eum movebit, cur alius optans habere filios non habeat, alius abundantes exponat, alius oderit nascituros, diligat alius natos. Quomodo non repugnet, nihil futurum esse, quod non sit apud Deum, ex quo necessè est Ordine omnia fieri, & tamen non frustra Deum rogari*. In quam sententiam egregiè dictum a D.Thoma p.1. q.22. a.4. *Divina providentia quibusdam effectibus præparavit causas necessarias, ut necessariò evenirent; quibusdam verò causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundùm conditionem proximarum causarum ... In hoc est immobilis, & certus Divinæ providentiæ Ordo, quòd ea, quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessariò, sive contingenter*. Sed nos perpetuus iste consensus Christianorũ Patrum cum veteri Schola Zetetica longè a proposito abripit: illuc, unde digressi sumus, revertamur. Veritatem ipsam exemptam, ac per se subsisten-

tem, ut ejus eſt multiplex ad res omnes reſpectus, multifariam quidem Schola Zetetica vetus diſtinxit, eamque variis notionibus, appellationibuſque diſtinctam reperies, cùm in aliis ejus Scholæ monumentis; tum in his ipſis libris ſymbolicis, quibus præcipuè utor: in quibus ea ratio exempta, quæ cuique reſpondet in Centro, interdum quidem notio, & præſcientia, interdum autem voluntas, ac præfinitio dicitur: tum univerſę hę rationes, rerum ordo ęternus, ratus, fixus, immutabilis, nuncupantur: immo etiam quandoque Mundus intelligibilis, & ſub aſpectum non cadens. Quod deinde uſurpatum eſt a Philone in Coſmopœja, ab Juſtino, Clemente Alex. loc. cit. 1. par. Syſtem. ac fundamentum habet in eo percelebri axiomate, quod in his libris memoratis, non eadem ſub ſpecie, ſed idem ſemper occurrit: *nihil hìc eſt apud nos in tempore, cujus veritas non ſit apud Deum in æternitate*. Tametſi verò hæc antiqui Inveſtigatores tam minutè, ſubtiliterque diſtingunt; nulla tamen eſt apud eos ejus duplicis ſcientiæ diſtinctio, de qua hìc quærebatur. Ut enim, eorum ſententiâ, ſua cuique veritas reſpondet in Centro, quæ veritas verbi cauſa reſpondet Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Moſi; eâdem ex æterno verum eſſe dicebant, non ſolum quid quiſque eorum ſit; ſed etiam qua loci, & temporis differentia ſit extiturus, & quid cuique acceſſurum, quod ipſum ab aliis diſcriminet: quæ omnia in ſphæra quidem, hoc eſt, in ſe ipſis, inaniæ propemodum, atque umbræ; in centro autem, hoc eſt, in Deo, Eſſe, & Veritas ſunt. Inſtas autem, atque ita propoſitum urges: Hoc eſſe verum, ſeu veritas hæc, quam res quæque habent in centro, hoc eſt, in Ordine exempto, & abſtracto, cauſane eſt ejus eſſe adumbrati, ſive ejus qualiſcunque ſimilitudinis, quam habent in ſe ipſis, hoc eſt in ordine concreto, & contracto? Utique cauſa. At quæ tandem cauſa? Primò eſt cauſa efficiens, ſeu principium, ex centro enim ſunt omnia: ſecundò eſt finis, aut terminus, quoniam ad centrum omnia; tertiò exemplar eſt, immo & pluſquam exemplar, quoniam in centro omnia. Quid illud eſt, quod dicis, pluſquam exemplar? Veritas: nihil enim mihi melius occurrit, quo genus iſtud

cauſæ

causæ declarem, habitudinemque significem illam, qua ex Scientia Dei, quæ centrum est veri, apta, juncta, nexaque est sphæra tota. At scientia Dei, seu veritas rei cujusque, ut a re ipsâ distincta, abstracta, secretaque est, quid plus tandem est, Zetetarum sententiâ, quàm quædam idea, aut archetypus, unde efficta, atque expressa res sit? Rei enim cujusque, ut Christiani etiam Theologi omnes fatemur, species exempta quædam, ac forma in ipsius summi Artificis mente insidet, quam intuens, cum aliquid extra se molitur, in eaque defixus, ad illius similitudinem, manum quodammodo, atque artem dirigat. Speciei autem hujus, & formæ ecquam habitudinem ad res ipsas esse volebant Ebræi veteres? eam, quæ propria est causæ formalis, ut Schola loquitur, non quidem illius, quam intrinsecam, sed illius, quam extrinsecam dicimus. Hanc sanè habitudinem his speciebus, ac formis, seu veritatibus exemptis, quæ in supremi Opificis mente insunt, ex Majorum videlicet disciplina, tribuit Rab. Moses Majem. loco cit. p. 1. n. 9. subscribunt, præter alios complures Augustinus, & Thomas. Augnstinus lib. 2. de lib. arb. c. 16. n. 44. esse ait *aliquam formam æternam, & incommutabilem, quæ neque contineatur, & quasi diffundatur locis, neque protendatur, atque varietur temporibus, per quam cuncta ista formari valeant, & pro suo genere implere, atque agere locorum, ac temporum numeros. Omnis enim res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est... Conficitur itaque, ut & corpus, & animus forma quadam incommutabili, & semper manente formentur. Cui formæ dictum est, mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es &c.* Idem Serm. 107. aliàs 18. cap. 2. n. 3. *Est*, inquit, *forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formatorum: forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens omnibus, & fundamentum quoddam, in quo sint: & fastigium, sub quo sint. Si dicis, quia omnia in illo sunt, non mentiris... Est forma omnium rerum, forma infabricata, sine tempore, ut diximus, & sine spatiis locorum &c.* Similiter Cont. Epist. Manich. c. 42. n. 48. Augustini mentem declarat Doctor Angelicus, qui ex ejus Enarrat. in Psalm. XI. n. 2. illud accepit, quod tradidit
p. 1

p.1.q.16. a. 6. cum scripsit; *Sicut ab una facie hominis, resultant plures similitudines in speculo, sic ab una veritate Divina resultant plures veritates. Si verò loquamur de veritate, secundùm quod est in rebus, sic omnes sunt veræ una prima veritate, cui unumquodque assimilatur secundùm suam entitatem. Et sic, licèt plures sint essentiæ, vel formæ rerum, tamen una est veritas Divini intellectus, secundùm quam omnes res denominantur veræ ... Anima non secundùm quamcunque veritatem judicat de rebus omnibus, sed secundùm Veritatē primā.* Idem Angelicus doctor art.7. *Res,* inquit, *denominantur veræ a veritate intellectus. Unde, si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna. Sed, quia solus intellectus Divinus est æternus, in ipso solo veritas æternitatem habet. Nec propter hoc sequitur, quòd aliquid aliud sit æternum, quàm Deus, quia veritas intellectus Divini est ipse Deus.* Id ipsum confirmat hìc ad 3. & q.21. a.2. in cor. Item 1. 2. q.93. a. 1. ad 3. Maximè verò Q. 1. de Verit. a.4. in cor. in quo ita scribit: *Veritas propriè invenitur in intellectu humano, vel Divino, sicut sanitas in animali. In rebus autem aliis invenitur, per relationem ad intellectum ... Est ergo in intellectu Divino quidem veritas propriè, & primò; in intellectu verò humano propriè quidem, & secundariò: in rebus autem impropriè, & secundariò, quia non nisi in respectu ad alterutram duarum veritatum. Veritas ergo intellectus Divini est una tantùm, a qua in intellectu humano derivantur plures veritates, sicut ab una facie hominis resultant plures similitudines in speculo &c.* Ac post aliqua tandem concludit: *Sic ergo res aliqua principalius dicitur vera in ordine ad veritatem intellectus Divini, quàm in ordine ad veritatem intellectus humani: si ergo accipiatur veritas propriè dicta, secundùm quam omnia principaliter vera sunt, sic omnia sunt vera una veritate, idest, veritate intellectus Divini, & sic Anselmus de veritate loquitur in lib. de Ver. c. 8. & 12. Si autem accipiatur veritas propriè dicta, secundùm quam res secundariò veræ dicuntur; sic sunt plurium verorum plures veritates in animabus diversis &c. si autem accipiatur veritàs impropriè dicta, secundùm quam omnia dicuntur vera, sic sunt plurium verorum plures veritates, sed unius rei est una tantum veritas. Denominantur*

tur autem res veræ a veritate, quæ est in intellectu Divino, vel in intellectu humano, sicut denominatur cibus sanus a sanitate, quæ est in animali, & non sicut a forma inhærente: sed a veritate, quæ est in ipsa re, sicut a forma inhærente: sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua, a qua sanus dicitur. Tandem q.2. a.1. in quo ad illud quod sibi 6. objecerat: *Algazel dicit, quod scientia est sigillatio scibilis in intellectu scientis*; ita respondet: *Verbum illud Algazelis intelligendum est de scientia nostra, quæ in nobis acquiritur, per hoc, quod res imprimunt similitudines suas in animas nostras: sed in cognitione Dei est e converso; quia ab ejus intellectu effluunt formæ in omnes creaturas. Unde, sicut scientia in nobis est sigillatio rerum in animabus nostris; ita e converso formæ non sunt, nisi quædam sigillatio Divinæ scientiæ in rebus.* Hæc porro cum ita se habeant; cum Dei sit mensura ipsa, & veritas rerum, atque ea quidem veritas, qua res propriè, & primariò denominantur veræ; sic, ut anima, non secundùm quamcunque veritatem judicet de rebus, sed secundùm primam hanc veritatem; concedendum est, veritatem ipsam, sive illud esse verum, exemptumque, ad quod unumquodque refertur; causæ formalis, ut ajunt, rationem habere, non ejus quidem, quæ rei intrinsecùs inhæret; sed, quæ illam dumtaxat extrinsecùs afficit. At causæ formalis hujus, inquies, quæ rem sibi subjectam tantùm extrinsecùs afficit, ab eaque semota est, & dissita, ac certè exemptissima; quæ major tandem necessitudo cum re illa esse potest, quàm quæ Ideæ, Archetypi, Exemplaris est propria? Ideæ, Archetypi, Exemplaria, utcunque ista voces, opinione fortasse tuâ, rebus ipsis illigata non sunt, nisi tantùm, ut possibilibus; hæc verò, si sermo sit de veritate illa, ad quam referuntur res aliquando, & alicubi exstituræ; hæc, inquam, illigata est iis etiam ut suo & loco, & tempore existentibus: ita scilicet, ut non arctiori nexu, atque vinculo Angelis, Hominibus, liberisque ipsorum actionibus, ut olim futuris, devinctum, adstrictumque sit illud esse *intentionale*, quod, Scholasticorum sententiâ, hæ res omnes habent in scientia visionis; quam esse illud verum, & exemptum, quod rebus iisdem Zetetæ

assignant

assignant in Centro, id est, in Veritate. Hoc significare fortasse voluit Philo l. 1. de Monarch. cum separatis his rerum formis efficientiam, & vim planè actuosam attribuit, immo & potestates nominavit, iisque, prædura sanè metaphora, quodam quasi satellitio, circumstipari Divinitatem scripsit: sic enim ibi Moses ad Deum: *Liceat saltem potestates illas, quarum stiparis satellitio, quæque hactenus ignoratæ miro me torquent cognitionis desiderio, videre*. Contra verò sic Deus ad Mosem: *Quas quæris potestates, utique intelligibiles, non visibiles sunt, sicut ipse sum invisibilis, & intelligibilis... Attamen, quamvis earum essentia sit incomprehensibilis, videre licet sigillum quoddam, & effigiem earum efficaciæ: quemadmodum apud vos annulis in ceram impressis, similemve materiam, exprimuntur figuræ variæ, & quidem integræ omnibus sui partibus; tales cogitandæ sunt potestates, quæ mihi adstant pro apparitoribus, & qualitates, formasque addunt rebus qualitate, formaque carentibus, absque ullo sempiternæ suæ naturæ detrimento. Hæ non temerè Ideæ nominantur a quibusdam vestratibus &c.* Hæc Philo e Schola Zetetica: nisi si veritates has a Divinitate non cogitatione dumtaxat, sed re ipsa distinguit, quod Platonicum est.

34. Insurgent hic statim, meqne interpellabunt Theologi Catholici: &, itane, inquient, priscos illos veri Inquisitores, & Investigatores in eorum philosophorum numero statuis, qui hominem fato duci volebant, & inevitabili quadam necessitate, ita premi, & constringi; ut propriæ ipsius actiones, ejus arbitrii, atque electionis non sint? Atqui ut modo retuli, Angelorum, atque Hominum actiones liberas sæpenumero memorant. Nec verò, liberas cum dicunt, idem, ac novi Hæretici faciunt, qui, ut a Lutheri, Calvini, Bezæ, & aliorum superiorum Eterodoxorum factione sejuncti appareant, Libertatis quidem nomen retinent, rem verò nominis funditus tollunt: siquidem Voluntati eadem vincula, necessitatemque circumdant: functionem prorsus omnem, administrationemque liberam adimunt: dominasque potentes imponunt, *Gratiam*, & *Concupiscentiam*: quæ alterno quasi imperio, atque motu illam exer-

exerceant: & modò quidem ad virtutem, modò autem ad vitium, in suas scilicet utraque leges, & partes, eam ita pertrahant, & planè abripiant; ut iis nullo modo reluctari, obniti, repugnare, resistere valeat. Libertatem hominis studiis acerrimis tutati sunt antiqui illi Sapientes: & eam quidem, quæ propriè, ac verè libertas est: non uni tantummodo contrariorum affixa, sed inter utrumque apta, & suspensa. Itaque illam in potestate sitam esse, dicebant, optandi, quod quisque velit e duobus saltem ei ad eligendum propositis: sic uno repudiato, quod posset amplecti, & eligere; ut alterum amplectatur, & eligat, quod posset repudiare. Ac propterea non solum fati violentiam, sed aliam quamcunque insuperabilem necessitatem ab ea removebant: necessitas enim contraria libero est, violentia autem etiam spontaneo. Extat hæc Scholæ Zeteticæ veteris doctrina cùm apud alios Scriptores Ebræos, tum, si hos parvipendis, ac recentiores putas, quàm qui possint rem istam testari; præcipuè apud Philonem, qui in Tractatu de Immutabilit. Dei docet, unam ex omnibus Hominis animam: *liberam esse, exemptamque e necessitatis vinculis. Nam brutæ,* inquit, *animantes, quarum animabus mens non inest donata libertatis privilegio, tanquam mancipia vinctæ &c. Homo autem liberam facultatem, & sui juris sententiam sortitus, ex destinato pleraque faciens, meritò vituperium incurrit, si prudens, sciensque peccat, sicut e diverso laudem, quando sua sponte benefacit. Nam stirpium, animaliumque, nec ubertas laudatur, nec, si male proveniant, vituperantur &c. Sola hominis anima a molestissima, gravissimaque hera, necessitate, quantum licuit, manumissa, jure accusari posset, si liberatorem suum non coleret... Condidit enim Deus hominem liberum, ut relictus voluntati propriæ quidquid placeret, ageret: idque hanc ob causam, ut sciens quid bonum sit, quid malum: & quid intersit, inter honesta, turpiaque reputans, quid item inter æqua, & iniqua, & in universum virtutem inter, & vitium; eligeret meliora, deteriora fugeret. In eam sententiam & oraculum extat in Deuteronomio: Ecce posui ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum: tu vitam elige.* Hæc Philo: quæ, si Zetetica sunt, ut ex ipso sacrarum Literarum

 testi-

testimonio, quod ibi citatur, liquidò apparet; dubitandum non est, quin ab antiquis Zetetis in eo constitutum fuerit liberum hominis arbitrium, ut ex oppositis, & contrariis, uno rejecto, alterum asciscat suapte sponte, atque nutu, cum ejus loco, etiam illud ipsum, quod repudiatum est, suapte pariter sponte, atque nutu potuisset amplecti: sic, ut non violentia tantummodo, sed etiam necessitas ab omni facultate, quæ verè libera sit, procul abesse debeat. Quod non minus disertè ex eadem Schola Zetetica expressum est ab aliis duobus Ebræis scriptoribus. Rab. Moses Majemon. sæpe citatus in Summa Talmudica tract. de Pœnit. c.5. *Veruntamen*, inquit, *exploratum est a nobis sine dubio, hominem actionum suarum libertatem habere, nec a Deo benedicto cogi, aut ad agendum determinari. Neque verò id solum traditione legis accepimus; sed certissimis argumentis, ac rationibus philosophicis compertum est nobis. Quamobrem apud prophetas dicitur de omnibus hominum operibus judicium fieri, habita eorum ratione, si bona sint, aut mala. Hoc est fundamentum, a quo omnia verba prophetica pendent.* Auctor libri de fundam. Joseph Albo, ut ferunt, l.4. c.5. ita loquitur: *Cum ergo probitas, aut malum sint in hominis libero arbitrio; necessariò etiam bona, aut mala sequentur liberi arbitrii determinationem, non autem, ut tu putabas, omnia fiunt ex necessitate decreti.* Multa etiam, eaque non dubia ejusdem Zeteticæ doctrinæ vestigia apud antiquos Philosophos, in quorum manus vel sacri ipsi codices, vel alia veterum Investigantium scripta pervenerunt. Apud Aristotelem lib. 3. Mor. c.4. Appetitûs rationalis duplex est actio: prima est βούλησις, *voluntas*, sive, ut nostri in scholis loquuntur, *volitio*: secunda est προαίρεσις, *electio*: hæc est eorum, quæ referuntur ad finem; illa plerumque finis ipsius: prima spontanea est, secunda etiam libera: quocirca primæ officit violentum, non necessarium; secundæ autem officit utrumque. Doctrinam hanc amplexus est, ac mirè illustravit S. Thomas p.1. q.83. a.4. Sed, ne discedamus ab antiquis, eadem fere invenias apud egregium alium Aristotelis interpretem Ammonium: tum apud Alexandrum Aphrodisiensem, Peripateticæ Scholæ lumen, in lib. de

de Fato, & Libertate. Legendi Præterea Euryphamus Pythagoricus in lib. de Vita apud Diogenem Laert. Plotinus philosophus Platonicus Enn.6. l.8. c.1. & 7. Alcinous c.26. Simplicius in Comment. ad Enchir. Epicteti. Qui omnes argumento sunt, ab antiqua Schola Zetetica, non qualemcunque libertatem assertam, sed veram, & genuinam; quæque tenetur genere τοῦ ἀδιαφόρου, indifferentis, nec necessariò determinati, sed suspensi, & ad utrumque contrariorum, oppositorumve potestatem habentis: sive illa circa diversas res occupetur, ad quarum alterutram eligendam jus, & potestas sit; sive in agendi, vel non agendi libero jure, ac soluto circa unum, idemque consistat.

35. At hoc esse, qui potest? ajunt præcipuè Societatis Theologi: si veterum Zetetarum sententiâ, rerum eventus, atque ipsę etiam hominum, & angelorum actiones nexæ sunt omnes ex illo esse, quod ab omni æternitate anticipatum, ac multo veriùs, quàm in se ipsis, habent in Centro, quod Totum est extra Totum, ordo, series, dispositio, veritas rerum omnium? Quid? Vos scientiam Visionis, resque ipsas futuras ejusmodi scientia perceptas, connexa nonne esse dicitis, apta, & colligata, inter se? Utique dicimus, respondent ii: Verumtamen scientia illa, qua Deus ex æterno præscivit, quid, quoque & loco, & tempore esset extiturum, tametsi rebus ipsis existentibus prior est *physicè*; iisdem tamen est *objectivè* posterior. Neque enim nos, res ideò futuras dicimus, quia prævisas; sed contra ideo prævisas, quia futuras. Et Patres nos etiam, non ita multos quidem, sed tamen aliquos habemus, qui hoc testatum reliquerunt de rebus iis etiam, in quibus culpa, & vitium non est. His ego, si veterum Zetetarum causam agerem, duo responderem: primum, quod spectat ad Patres; Schola Zetetica, cum in eo Esse vero, & exempto, quod res, ut sæpe diximus, anticipatum habent in centro, propriam cùm veritatis, tum cognitionis, atque intelligentiæ rationem, cogitando distingueret; sicubi duas has rationes exemptas, & cogitatione tantùm discretas invicem comparabat; res ideo prævisas dicebat, quia futuras, non contra, ideo futuras,

quia prævisas. Quoniam verò, ipsius sententiâ, Scientia Dei revera est ipsamet veritas rerum; sicubi hanc comparabat cum rebus ipsis; res propterea futuras affirmabat, quòd Deo prævisum sit esse futuras: non contra, ideo prævisum eas esse extituras, quod revera sint extituræ. Specimen rei hujus fit in Maximo, qui in Scholiis ad cap. 5. de Div. nom. Dei scientiam rerum omnium causam esse docet omnino antecedentem: & tamen sic loquitur: *Igitur Dei notiones sunt entia*, nempe esse rerum exemptum. *Entia porro sunt species*, hoc est, formæ, ac veritates separatæ. *Notiones autem non sic intelligendæ sunt, tanquam ex eo, quòd hoc intellexit, consequens sit, fuisse hoc, vel esse hoc*, in Deo. *Hujusmodi enim notione anterius id esse, quod noscitur, oportet; ut hoc intelligens efficiat. Sed eatenus intelligit entia, quatènus se ipsum intelligit, & cum iis, quæ insunt, conjungitur. Ipsa enim ejus notio, eorum, quæ sunt, est productio.* Secundò dicerem; id, quod paulo ante respondi de Scientia Visionis, eo solùm tendere, ut hominem sui juris, & planè liberum non propterea negemus, quòd ejus actiones nexæ, & colligatæ sint cum esse quodam æterno, atque immutabili: nisi, præter hunc nexum, colligationemque, aliud adsit, quod libertati repugnet. Enimvero adest, subjiciunt ii statim: Esse quippe illud, ut a te modo descriptum est, actiones hominum, non tempore dumtaxat, sed omni planè ratione antecedit. Quid si tempore dumtaxat eas antecesserit? Quid si res ipsæ, earumque veritas in eodem sint, ut ajunt, naturæ signo? Si ita se expediant Zetetæ, tunc illos, inquiunt, iisdem ferme rationibus aggrediemur, quibus oppugnantur Scotistæ. Unde hæc Sympathia, dicemus, unde iste consensus; ut quidquid hic est in loco, & tempore, sit idem in eodem signo, extra locum, ac tempus, in Deo? Unde? Hæc nimirum est Centri natura, atque, ut extra metaphoram loquar, hæc est natura Veritatis ipsius, exemptæ, ac per se subsistentis. Quid si vos ita vicissim adorior: unde illa sympathia, ille consensus; nihil ut sit verum in loco, & tempore, quod idem non sit in scientia Visionis extra locum, & tempus? Quemadmodum hæc propria Dei perfectio

ctio est, & natura, ut ab omni æternitate in eo fuerit futurorum omnium anticipata notitia, & esse quoddam intentionale, quod vulgo dicitur; sic ejus propria itidem perfectio est, & natura, ut ex tota pariter æternitate, futurorum omnium in eo fuerit anticipata veritas, & esse quoddam exemptum, ut hìc exposuimus. Qua ratione autem esse illud intentionale, quoniam notitia quædam, ac repræsentatio est, rebus ipsis futuris posterius est, sententiâ vestrâ; ea ratione esse illud exemptum, quoniam veritas est; in eodem naturæ signo, ac res ipsæ verè extituræ a Schola Zetetica constitui potuit. Potuit autem: utrum enim ita sit constitutum, nec ne; res est mihi non satis explorata, & comperta. Anselmo certè visum est possibile: ita enim concludit caput septimum quæstionis primæ de concord. præsc. Dei cum lib. arb. *Præscientiam Dei, & liberum arbitrium simul esse, non esse impossibile: neque posse aliquid objici, quod non sit dissolubile.* Verùm Schola Zetetica, vetus præsertim, nec istiusmodi signa notavit; nec, quo liberum hominis arbitrium tueretur, ad ea sibi confugiendum duxit, cum præsto esset in ipsa Hypothesi supra exposita, quo illi optimè consultum putaret. Quid enim? dicebat, actio libera non sit, quia nexa est ex Veritate sua? At enim ejus veritas, æterna est, immutabilis est? Quid tum? Veritas est actionis liberæ. Nec sanè veritas esset, si temporaria, si mutabilis esset: temporarium enim, & mutabile caracteres, ac notæ sunt Esse falsi. Quod ipsum animadvertit Anselmus quæstionis modò citatæ cap. 5. cujus titulus est. *Quod multa in Scripturis dicuntur necessaria, & immutabilia, per comparationem ad æternitatem; quæ in tempore sunt libera, & possent non esse.* Id autem multis probat: in quibus & illa sunt: *Hoc quippe propositum, secundùm quod vocati sunt sancti, in æternitate, in qua non est præteritum, vel futurum, sed tantùm præsens, immutabile est; sed in ipsis hominibus ex libertate arbitrii aliquando est mutabile. Sicut enim, quamvis in æternitate non fuit, aut erit aliquid, sed tantùm est; & tamen in tempore fuit, & erit aliquid sine repugnantia; ita quod in æternite mutari nequit, in tempore aliquando per liberam voluntatem,*

an-

antequam sit, esse mutabile probatur, absque inconvenientia &c. Tum alia multa iis adtexit, quibus planum facit, illud ipsum, quod in sphæra, sive in statu umbræ, ut Zetetæ dicunt, temporarium est, & mutabile; in centro, sive in statu veritatis, æternum esse, atque immutabile. Status adeo uterque suis propriis notis, & caracteribus insignitur, & ab altero distinguitur. At enim, instant; necesse est, existere in homine actionem illam, si ejus veritas existit in Deo. Necesse est quidem, sed illam ipsam, cujus veritas existit in Deo: cum igitur in Deo Veritas existat actionis liberæ, actionem liberam existere in homine, necesse est. Neque enim Esse, sed quasi statum distinguit Hypothesis nostra: ac nihil hic apud nos esse dicimus, quod idem prorsus non sit apud Deum in sua veritate exempta, ac per se subsistente. Ita tamen, ut in Veritate quidem verum, germanumque esse habeat, ac veri, germanique esse insignia, atque notas; apud nos autem, hoc est, in se ipso; esse falsum, ac penè adumbratum, ejusque itidem proprietates, & caracteres: *Creatura enim Deo collata, quasi falsitas ad veritatem.* At hæc est illa ipsa fatalis umbra, & ineluctabilis necessitas, quam commenti sunt veteres quidam philosophi? Nihil minus. Hominum enim actiones ii nexas volebant aut ex syderibus, aut aliis ex causis, quæ homini liberam eligendi facultatem eripiant, eumque uni tantummodo contrariorum affigant: ut aut velle dumtaxat, aut nolle possit: nec solutum ipsi sit, ex duobus saltem, utrum malit, adsciscere, vel repudiare. Investigatores autem, actiones easdem ex propria tantum cujusque veritate suspensas, aptasque dicunt: qua, quoniam verum non modò est, actionem illam fore aliquando; sed etiam ab ea causa fore, cui solutum sit agere, & non agere; ea veritas tam contraria non est libertati; quàm contrarium nihil est sibi ipsi. Nempe ipsum idem, in hac Hypothesi, & adumbratum, & verum est: sed, ut est adumbratum, actio libera; ut autem est verum, actionis liberæ veritas nuncupatur. Hæc Schola vetus Zetetica: quæ, qualia sint, non disputo: ajo tamen, eadem ferme nobis passim occurrere apud Zetetas Christianos. Quotquot enim in

eo

eo desudarunt contra Ethnicos, atque Eterodoxos, ut Dei præscientiam cum libertate hominis conciliarent, eam præcipuè rationem adhibuerunt, quam olim adhibitam dixi a veteri Schola Zetetica. Quid tum, ajunt Catholicæ Ecclesiæ Patres, quid tum, si Dei præscientia æterna, nec mutabilis est? Præscientia est actionis liberæ: existet igitur actio libera. At, si Deus, eam aliquando fore præscivit, non potest non esse? Utique, sed qualis prævisa est, nempe libera. ex eaque causa, quæ, positis iis omnibus, quæ ad agendum sunt necessaria, suapte sponte, atque nutu eam actionem edere, aut omittere possit. Audi, quoniam omnes referre non vacat, Augustinum lib. 3. de lib. arbit. c. 3. n. 8. in hæc verba disserentem. *Cum Deus sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit: voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit.* Cum Dei præscientia sit ipsa veritas futurorum, ut supra ostensum est, auctoritate etiam Augustini; hæc S. Doctoris ratiocinatio, est illa ipsa, quam proximè retuli è Schola Zetetica veteri: nam, si præscientiæ nomen mutes nomine veritatis, nihil plane est, quo duo hæc loca differant inter sese. Augustinus idem lib. 5. de Civit. cap. 9. n. 3. in hanc eandem sententiam: *Non est*, inquit, *consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita, qui omnes rerum causas præscivit, profectò in iis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit; quas nostrorum operum causas esse præscivit.* Tum multis interjectis, num. 4. in ipso capitis fine. *Quapropter*, inquit, *& voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præscivit: & ideo quidquid valent, certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt: quia valituras, atque facturas ille præscivit, cu-*

jus

jus præscientia, cum sit ipsa veritas, *falli non potest*. Denique cap.10. num.2. *Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit, quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim, qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porro, si ille, qui præscivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit; profectò, & illo præsciente, est aliquid in nostra voluntate. Quo circa nullo modo cogimur, aut, retenta præscientia Dei, tollere voluntatis arbitrium; aut, retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum: sed utrumque amplectimur: utrumque &c. Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes: quia & ipsas futuras esse præscivit: & valent plurimum, quantum eas valituras esse præscivit: & preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præscivit &c.* Nempe hæc omnia tantum sunt in se ipsis, hoc est, ut placet Scholæ Zeteticæ, in statu adumbrationis, & similitudinis; quantum ab omni æternitate fuerunt in mente Dei, hoc est, in statu rei, & veritatis. Idem docet Anselmus q.1. de concor. præsc. Dei cum lib. arb. c.3. *Non*, inquit, *semper sequitur præscientiam Dei, rem necessitate futuram esse: quoniam, quamvis omnia futura præsciat; non tamen præscit, cuncta futura necessitate, sed quædam præscit ex libera rationalis creaturæ voluntate futura. Notandum quippe est, quia sicut necesse non est, Deum velle quod vult; ita necesse non est in multis velle hominem quod vult: &, sicut necesse est esse, quicquid Deus vult; ita necesse est esse, quod vult homo in his, quæ Deus ita subdit humanæ voluntati, ut si vult, fiant; si non vult, non fiant. Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse;* quia nimirum hæc Dei voluntas est ipsa veritas rei, ut est explicatum; *cum vult, hominis voluntatem nulla cogi, vel probiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult, effectum sequi voluntatem; tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Quod Dei præscientia sit, non imago, & similitudo, sed ipsamet veritas rei exempta, ac per se subsistens; ostendimus cùm Patrum reliquorum testimoniis, tum maximè Anselmi, quæ dedimus par.1. num.17. ut dubitandum non sit quin

quin liberum hominis arbitrium eadem hic ratione tutetur; qua tutati illud sunt antiqui Zetetæ. Eadem ratione utitur D. Thomas, eamque ascribit Dionysio: sic enim habet Sum. p.1. q.22. a.4. *Sed contra est, quod dicit Dion.4. cap. de div. nom. quòd corrumpere naturam non est divinæ providentiæ: hoc autem habet quarumdam rerum natura, quòd sint contingentia. Non igitur divina providentia necessitatem rebus imponit contingentia excludens.... ad divinam providentiam pertinet omnes gradus entium producere: & ideo quibusdam effectibus præparavit causas necessarias, ut necessariò evenirent: quibusdam verò causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundùm conditionem proximarum causarum... In hoc est immobilis, & certus divinæ providentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessariò, sive contingenter.* Idem prorsus docet q.23. ar.6. corp. *Prædestinatio*, inquit, *certissimè, & infallibiliter consequitur effectum suum, nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus ejus ex necessitate proveniat. Dictum est enim supra, quòd prædestinatio est pars providentiæ. Sed non omnia, quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt: sed quædam contingenter eveniunt, secundùm conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit. Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ut supra ostensum est. Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus. Ad hoc etiam considerandasunt, quæ supradicta sunt de divina scientia, & de divina voluntate &c.* Scripserat autem q.19. a.8. in corp. *Cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantùm secundùm id, quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi, vel essendi.... Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed, quòd eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri. Vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus, ac complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quibusdam autem aptavit causas contingentes &c.* Eo nempe spectant hæc omnia, ut res ita sint in se ipsis, necessariò scilicet,

X vel

vel contingenter, uti ex æterno verum fuit, eas esse aliquando extituras. Quid autem, & quoquo modo extiturum foret, ex æterno verum fuit veritate exempta, æterna, atque immutabili; nam, ut ait Thomas idem q.16. a.6. sup. cit. *Anima, non secundùm quamcunque veritatem judicat de rebus omnibus, sed secundùm veritatem primam.*

36. Verùm, ne quid dissimulem, aut, dum tam studiosè doctrinam illam consector, quam tradidit Schola vetus Zetetica; ejus immemor appaream, quam mea profitetur; quæ duo videntur esse in veritate exempta, ac per se subsistente cujusvis actionis humanæ, vel angelicæ; ut nimirum & connexa sit cum actione ipsa, & illam omnino antecedat; nisi eorum alterutrum inde removeatur; hominum, angelorumque liberæ facultati ab antiquis illis Sapientibus satis cautum, provisumque esse nego. Agesis igitur eos hic iterum adeamus, & utrum ex ea Veritate tolli possit commodiùs, de ipsorum sententia, experiamur: ne tunc etiam, cum eos defendere videmur, ab interpretis munere discedamus. Quod ad primum spectat, unicum ii verum esse agnoscebant, ut initio exposuimus: nec Esse ipsum, sed statum quodammodo distinguebant: sic nempe, ut sicuti non duo sunt Moses, unus in se ipso, alter in statua; sed ille idem, qui est in se ipso, sit etiam in statua; in se ipso quidem, veritate; in statua autem similitudine; ita pariter non duo sint Esse, unum in se ipso, alterum in rebus conditis; sed illud idem, quod est in se ipso, sit etiam in rebus conditis; in se ipso quidem, veritate; in rebus autem conditis, similitudine. Et quamvis antiqui Zetetæ pariter, ut omnes Catholici, fateantur, duo quædam esse non solùm distincta, sed planè disjuncta, & inter se maximè distantia, Deum, & res creatas; sicuti duo quædam sunt & distincta, & longè inter se diversa, Moses, ejusque statua; tamen, illorum sententiã, quidquid est rerum creatarum, non aliud est in statu veritatis, aliud in statu adumbrationis: sed aliter in illo, aliter in hoc: in illo quidem habet esse verum, esse sincerum, esse germanum; in hoc autem ejusdem Esse similitudinem tantùm. Quemadmodum non alius est Moses

ses in sua veritate, alius in sua imagine; sed aliter in veritate, aliter in imagine: in ea quidem, hoc est, in se ipso, est verus homo, in hac autem hominis ejusdem imitamentum, atque adumbratio. Ex his porro illud efficitur, ut, tametsi veritas exempta actionis humanæ, aut angelicæ existens in Deo non est actio ipsa, sed ab ea maximè differt, uti inter se maximè differunt Moses, ejusque simulacrum; quòd tamen non alia, & alia est, sed una prorsus, atque eadem ratio illa Entis, quæ & adumbratur in actione hominis, vel angeli; & verè est in Deo; illud, inquam, ex his efficitur, ut actio, ejusque Veritas exempta, non duo entia sint nexa invicem, sed unum, atque idem pro duplici statu: quippe inter unum, atque idem, sicuti distinctio non est, ita nec connexio esse potest, quæ unum alteri alligat, non ipsum sibi, suæve essentiæ, & naturæ. *Creaturæ autem in Deo, non similitudo, sed principalis essentia*, ait Anselmus Monol.c.33. & c.31. *in Verbo summæ Veritatis, quod & ipsum est summa Veritas, non factorum similitudo est, sed vera, & simplex essentia; in factis verò non simplex, & absoluta essentia, sed veræ illius essentiæ vix aliqua imitatio. Quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur; in picto verò similitudo, sive imago illius veritatis*. Sed & aliud hic mihi plurima cogitanti, ac circumspicienti sese offert, quod rem hanc, licèt non omni ex parte, melius tamen fortasse declaret. Homo sit duobus simul in locis, inter se longè dissitis Divinitus positus. Immo fac Deum ita velle, ac decernere, non hominem ipsum dumtaxat, sed ea etiam, quæ sua spontè, atque ex se liberè agit, replicari, ut ajunt: sic, ut in illo cognitiones eædem, voluntates eædem sint utrobique: eosdem motus, easdem actiones edat utrobique, & Florentiæ v. g. ubi est naturaliter; & Romæ, quo in loco supra naturalem hominis conditionem eundem positum fingimus. Agedum, locum hunc duplicem, Florentinum, & Romanum confer cum eo duplici quasi statu, veritatis scilicet, & adumbrationis, in quo idem Esse, modo explicato, ponitur a Schola Zetetica. Video equidem, exemplum illud a re nostra multum distare: nam homo ille tum in loco Florētino, tum in loco Romano est

verus homo: ejusque actiones sunt utrobique veræ hominis actiones. Secus verò in re nostra: Quidquid est, in statu veritatis est verum ens, in statu adumbrationis non est verum ens, sed infra ens: vel, si in hoc statu est verum ens; in eo statu non est verum ens, sed supra ens, ut de Deo sæpe etiam loquuti sunt Zetetæ quamplures. Præterea in statu adumbrationis est hoc, vel illud: in statu autem veritatis quidquid est, est esse exemptum, seu veritas rerum omnium tum quæ sunt, tum quæ esse possunt: totum extra totum: omnia supra omnia, ut ex Dionysio loquitur Maximus: denique Deus ipse: nam Deus, quidquid habet, illud est. Adde reliquos omnes veri Esse caracteres, quos supra recensuimus, & quibus certè non discrepat a Florentino locus Romanus. Verùm, tametsi allatum exemplum ab eo, de quo hìc agitur, longè abest in multis; in multis tamen planè cohæret, & congruit. Etenim idem homo, eædemque ipsius actiones, quæ sunt hìc apud nos in statu adumbrationis, sunt etiam in mente, ac cognitione Dei, qui status est veritatis: quamvis ibi & ille, non homo, sed hominis veritas; & hæ, non actiones humanæ, sed humanarum actionum veritas sint. Profectò, quemadmodum homo, qui est in loco Florentino, non est colligatus, & connexus cum eo, qui est in loco Romano, sed unus, idemque; ita etiam ratio illa Entis, quæ adumbratur in homine, ejusque actionibus, connexa, & colligata non est cum illa, quæ verè est in hominis ipsius, ejusque actionum veritate; sed una prorsus, atque eadem: ut in ipsa Zetetica Hypothesi initio statuimus. At enim, inquies, detur, esto, Zetetica Hypothesis: creatura omnis, quacunque ratione componatur cum Deo, ad illum ita se habet, uti verum ad falsum; esto. Esse verum propterea unicum est, & quod consequens est, non duo Entia, sed duo quasi Entis status distingui debent; esto. Tum, ut particulatim loquamur, de humanis actionibus, de quibus potissimùm disputatur; esto eadem ratio Entis sit in duplici statu, ut Zetetæ loquuntur, in Unitate, & in Numero; in Centro, & in Sphæra; in Veritate, & in Adumbratione; sed in primo statu, quia in eo habet esse verum, dicatur Veritas actio-

actionis creatæ; in secundo statu, quòd in eo verum esse non habet, dicatur Actio ipsa creata. Esto, inquies, vera sint ista omnia; his omnibus tamen datis, atque concessis; quemadmodum in exemplo posito, quòd homo ille esset in loco Florentino, ex decreto Dei, cum eo connexum foret, quod esset idem, eodem tempore in loco Romano; sic etiam quòd hominis actio futura, ut futura, sit in mente, ac scientia Dei, qui status est veritatis, ex ipsa rei natura, cum eo connexum est, quòd suo loco, & tempore sit in se ipsa, qui status est adumbrationis. Etsi enim duplex ratio Entis non sit, status tamen Entis est duplex, Veritatis scilicet, & Adumbrationis. Inter utrumque igitur statum, quoniam ea duo ita vocare libet, ut distinctio, ita etiam connexio est. Benè est, prorsus isto modo: quòd hominis actio futura, ut futura, sit in mente Dei, qui status est veritatis, cum eo nectitur, quòd suo loco, & tempore sit etiam in se ipsa, qui status est adumbrationis: eo pacto, quo, hominem illum, ejusque actiones esse supra naturam in loco Romano, ex eo nexum, suspensumque esset, quòd idem naturaliter foret in loco Florentino. Veruntamen, quemadmodum secunda ista connexio, ejus hominis libertati non officit, neque impedimento est, quominus actiones ab ipso existentes in loco Romano, sint, dicanturque verè, ac propriè liberæ, si liberæ sunt in loco Florentino; ita etiam nec prima illa connexio libertati officit hominum, aut angelorum: neque impedit, quo minus eorum voluntates, actionesque ab ipsis editæ, sint liberæ, si in sua veritate sunt liberæ. Quòd si dicas, hominem illum simul, eodemque prorsus tempore idem velle, atque agere cùm in loco Florentino, tum in loco Romano: secus verò, hominum, & angelorum voluntates, actionesque priùs esse in sua veritate exempta, quàm in se ipsis; ne id quidem obesse ajo, quo minùs verè, & propriè liberæ sint, & dicantur. Jamque alterum illud aggredior, quo veritates has rerum exemptas, quas in mente Dei Schola ponit Zetetica, angelorum, atque hominum facultati liberæ adversari contendis.

37. Nempe illorum actiones sua veritas antecedit: priùs enim

enim sunt in mente Dei, quàm in se ipsis. Sed hoc quid refert? Finge hominem illum, actionemque aliquam ipsius omnino liberam, ut est simul in duplici loco, Florentiæ quidem naturaliter, Romæ autem supra naturam; sic etiam simul esse in duplici temporis differentia v. g. hodie, & cras: hodie quidem naturaliter, cras vero supra naturam. Quod si, nec divinitus id fieri potest, tamen, ut vales, animo concipe: profectò, quamvis priùs sit tempus hodiernum, quàm crastinum; quodque homo ille, ejusque actio existat hodie, connexum divinitus sit cum eo, quod simul existat cras; si tamen ejus hominis actio est libera hodie, est simul & libera cras: uti, si est libera Florentiæ, est libera Romæ. Rem transfer ad scientiam Dei, seu ad veritatem exemptam cujusvis actionis humanæ, & angelicæ. Ea quidem, ut diximus Prop. v. & vi. tota est in qualibet parte utriusque sphæræ, manentis, & moventis; non tamen, ut sphæræ pars, sed ut centrum, modo scilicet prorsus exempto, & planè in se ipsa: ut ad omnes sphæræ partes se habeat prorsus æqualiter: neque hic, sit magis hìc, quàm ibi; neque nunc, sit magis nunc, quàm postea. Cujus rei, quod ad sphæram præcipuè moventem pertinet, de qua difficilius id intelligitur, similitudo est illa, apud Afelmum, cujus supra meminimus. *Quamvis*, ait ipse q. 1. c. 5. de conc. præsc. Dei cum lib. arb. *in Æternitate nihil sit, nisi præsens; non est tamen illud præsens temporale, sicut nostrum; sed æternum, in quo tempora cuncta continentur. Si quidem, quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt; ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore. Cum ergo ait Apostolus, quia Deus præscivit sanctos suos, prædestinavit, vocavit, justificavit, magnificavit; nihil horum prius, aut posterius apud Deum est: sed omnia simul æterno præsenti sunt intelligenda. Habet enim æternitas suum simul, in quo sunt omnia, quæ simul sunt loco vel tempore, & quæ sunt diversis in locis, vel temporibus.* Sicuti se habet præsens temporis momentum ad omnem differentiam loci; ita se habere docet immobile, præsentissimum, atque individuum *Nunc*, sive *Est* Æternitatis ad omnem differentiam temporis.

Quem-

Quemadmodum enim, quia tempus est maximè exemptum a loco, ideo præsens temporis momentum simul, & æqualiter est in quavis loci differentia, Romæ, Florentiæ, in Italia, in Hispania, in Europa, in Asia, ac reliquis loci partibus; sic quia Æternitas est maximè exempta a tempore, ideo individuum illud, immobile, ac præsentissimum Nunc, sive Est Æternitatis, simul, & æqualiter est in quavis differentia temporis, hodie, heri, cras, anno, sæculo præsente, præterito, futuro. Ex quo illa sequuntur, quæ eleganter describit Petrus Damian. Opusc.36. c.8. his verbis: *Omnipotenti itaque Deo non est heri, vel cras, sed hodie sempiternum; cui nihil defluit, nihil accedit; cui nihil est varium, nihil a se diversum. Illud hodie æternitas est incommutabilis, indefectiva, inaccessibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui: & omnia, quæ apud nos elabendo discurrunt, aut per temporum vicissitudines se variant, apud illum hodie stant, & immobiliter perseverant. In illo scilicet hodie dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem: in illo jam & ille nihilominus est, quo judicandus est per æterni judicii æquitatem. Neque enim in eam lucem, quæ sine accessu ea, quæ elegit, illustrat; & sine recessu ea, quæ respuit, deserit; defectus mutabilitatis venit: quia in semetipso permanens immutabilis, mutabilia cuncta disponit. Sicque in se transeuntia condidit, ut apud se, quæ condita sunt, transire nequaquam possint &c.* Quorsum ista? ut appareat, actionem hominis liberam, quæ in se ipsa existet v. g. cras; in scientia Dei, hoc est, in sua veritate existere modo prorsus exempto a tempore, idest, neque cras, neque hodie, neque heri; & tamen simul, & æqualiter esse & cras, & hodie, & heri, & omnibus diebus cùm veris, tum imaginariis æternitatis, sive, ut rectiùs loquar, spatii moventis præteriti, & futuri. Quemadmodum autem, si fingas Deum velle, Antonium v. g. & quidquid liberè agit Antonius hodie Florentiæ, esse simul & alio in loco, nempe Romæ; & alio tempore, (quod si fieri non potest, potest cogitari) nempe cras; quemadmodum, inquam, si hæc fingas, optimè intelliges, actionem illam utroque in loco, & tempore esse liberam, licèt, quòd sit & hodie, & Florentiæ connexum ex Dei decreto sit cum eo, quòd simul existat & cras,

cras, & Romæ; locaque ipsa inter se dissita sint, & tempore crastino prius sit tempus hodiernum; ita, & multo quidem meliùs intelligi poterit, actionem illam, quæ existat tum exempta a loco, & tempore in mente Dei, ideſt, in statu veritatis; tum alligata loco, & tempori in se ipsa, ideſt, in statu adumbrationis; in utroque statu esse liberam: nam, quamvis hic etiam, quòd actio illa existat in primo statu connexum cum eo sit, quòd sit suo loco, & tempore etiam in secundo; status tamen a statu nec loco, nec tempore dissitus est, sed exemptus: eaque actio, si in se ipsa est Romæ, & cras; in sua veritate est itidem Romæ, & cras; aut certè non magis Florentiæ, quàm Romæ; non magis hodie, quàm cras: uti se habet centrum sphæræ, cujus nulla sit circumferentia.

38. Est tamen quod hìc respondeant, quibus Scholæ Zeteticæ doctrinam oppugnare libeat: esto Veritatis status, cum sit exemptus a tempore, minus verè, & propriè antecedat tempore statum umbræ: at certè quod hìc magis refert, antecedit causalitate, & naturà. Nam scientia Dei, etiam visionis, ut Scholæ Zeteticæ placuisse videtur, est causa rerum: quòd, quamvis aliquo pacto emollitum sit, cum diximus, eam esse causam quasi formalem, res sibi subjectas extrinsecùs afficientem; Veritas est tamen ipsa rerum, Zetetarum sententiâ, non similitudo, & imago: &, ut multis iisque valde claris Patrum testimoniis pugnatum est; ac fert ipse ordo rerum a Schola Zetetica stabilitus; non ideo res a Deo prævisæ sunt, quia erunt; sed ideo erunt, quia a Deo prævisæ. Non igitur ideo actiones humanæ, & angelicæ sunt in statu veritatis, quia sunt in statu adumbrationis; sed contra ideo sunt in statu adumbrationis, quia sunt in statu veritatis: &, quod consequens est, etsi actio eadem sit in scientia visionis, atque in se ipsa; secundus hic status nexus, & suspensus est ex primo, eumque planè subsequitur. Hæc pro adversariis: sed, ut mihi videtur, nihil adhuc objicitur, quod antiquos Indagatores coarguat, eorumque Systema contra liberum hominis arbitrium peccare, satis validè probet. Quid enim, si actio hominis, aut angeli non ideo est in statu veritatis, quia est in statu adumbrationis;

nis; sed contra, ideo est in statu adumbrationis, quia est in statu veritatis? In exemplo etiam primùm allato, Homo ille, ejusque actio libera, non ideo est Florentiæ, quia est Romæ; sed potius ideo est Romæ, quia est Florentiæ: ita enim ponimus constitutum a Deo, hominem illum, quamdiu Florentiæ ex se naturaliter sit, & quidquid Florentiæ liberè velit, aut agat; existere simul & Romæ. Quamvis autem se ita res habeat, & planè necesse sit, quidquid est Florentiæ, esse etiam Romæ; actio tamen illa, si libera est Florentiæ, libera est etiam Romæ propriè, ac verè. Necessitas enim, & causalitas illa, non rem ipsam, quæ est prorsus eadem, sed ejus veluti statum, præsentiæque modum, atque habitudinem afficit. Immo ecce tibi novam liberi arbitrii, cùm Dei præscientia, prædestinatione, gratia conciliandi, componendique rationem, mihi nunc ex Zetetica Hypothesi enatam. Siquidem, etiamsi necesse sit, actionem aliquam existere in loco, seu statu A; etiamsi necessitas illa non consequatur, sed potius antecedat hoc, quod est, actionem illam existere in loco, seu statu A; nihilominus tamen, ut constat ex allato exemplo, actio illa ibi etiam est propriè, ac verè libera. Nempe ita res habet in eo, de quo nunc disputamus. Necesse est quidem ea omnia, quæ sunt apud Deum in scientia Visionis, suo loco, & tempore existere, apud nos etiam in se ipsis: & primus quidem ille status, quo sunt in scientia Visionis, cum status sit Veritatis, non consequitur, sed antecedit secundum hunc statum, quo sunt in se ipsis, qui status est adumbrationis: ea tamen, quæ libera sunt in primo statu, idest, quæ a Deo cognoscuntur ut libera; libera sunt etiam in secundo statu, hoc est, in se ipsis. Quoniam necessitas, ac prioritas illa status ipsos quodammodo afficit, quos distinguit Schola Zetetica, non Entis rationem, quæ eadem est tum in sua veritate, quæ est scientia Dei; tum in sua adumbratione, quæ est res creata: atque ita vel utrobique necessaria, vel utrobique libera est. Quod si vis rei hujus exemplum illustrius, quæ de uno homine diximus, eadem contingere fingas mundo universo. Velit Deus, illum, quantus quantus est, eaque omnia,

quæ in illo sunt, ac subinde fiunt, eodem ordine, iisdem spatiis, atque intervallis locorum, ac temporum, existere simul v.g. ad australem partem in eo inani, quod in immensum patet extra superficiem, oramque ultimam mundi. Posito istiusmodi decreto, ac voluntate Dei; quæcunque res, rerumque motus existant, ac peragantur ad Aquilonem; necesse erit existere, ac peragi etiam ad Austrum: &, cum necesse sit, ea omnia existere, ac peragi ad Austrum; non omnia tamen, quæ fient ad Austrum, erunt necessaria: sed, pro diversitate causarum, alia necessaria, alia libera, prorsus uti ad Aquilonem. Verbi causa; si Sol, & Luna suos cursus peragunt in mundo boreali, cursus eosdem ab iisdem eodem tempore confici necesse est in mundo australi: & hi cursus oppidò sunt necessarii: non, quia necesse est, simul existere ad Austrum, quidquid existit ad Boream: & ideo existit ad Austrum, quia existit ab Boream; sed quia existunt a causa necessaria, cui definitum est ab ipsa natura, currere potius, quàm non currere. Contra verò, si homo in porticu inambulat in mundo boreali, eandem inambulationem in eadem porticu, ab eodem homine, eodem tempore existere, necesse est in mundoaustrali. Hæc autem inambulatio libera est: nam, quamvis necesse sit, quidquid est ad Boream, esse ad Austrum; & ideo sit ad Austrum, quia est ad Boream; est tamen inambulatio illa a causa libera, quæ, si non potest ambulare in uno loco, quiescere in altero; ei tamen simpliciter ambulare, vel non ambulare solutissimum est. Age, transferantur hæc omnia ad alium duplicem mundum, seu potius ad mundum eundem, in alio manentem duplici statu, in Centro scilicet, & in Sphæra; in Unitate, & in Numero; in Veritate, & in Umbra. Necesse est quidem, res omnes rato loco, & tempore ita esse in se ipsis, uti ex æterno fuerunt in mente Dei, non enim falli potest Veritas ipsa. Etsi verò necesse sit, omnia ita esse in se ipsis, uti prævisum est Deo, ipsa fore; non omnia tamen in se ipsis sunt necessaria; sed, ut ait D.Thomas in locis sup. cit. pro diversitate causarum proximarum, alia necessaria sunt, alia libera. Verbi causa, si sol in scientia Dei peragrat orbes suos, & ita circumfertur;

fertur, ut accedat ad brumale signum, & inde sensim ascendat in diversam partem; hoc est, si Deus hæc scit; in eoque est veritas illa, qua verum fuit in statu exempto, extraque locum, & tempus, hos motus fore in statu alligato, certoque in loco, & tempore; utique necesse est, hos ipsos motus in se ipsis existere: solemque, ut est in se ipso, annuos cursus conficere, itàque circumferri; ut ultra solstitiales orbes non progrediatur, nec interius insistat, nec longiùs excurrat, quàm Deus præviderit. Ac motus hi quidem, ut sunt in se ipsis, sunt necessarii; non ea de causa, quia necesse est, esse in statu adumbrationis, quidquid est in statu veritatis; & idcirco est in statu adumbrationis, quòd est in statu veritatis; sed quia hi motus a causa sunt necessaria, cui & moveri, & ita moveri definitum est a natura. E contrario autem, quòd hic homo in viridi aliqua, opacaque ripa inambulet, si est in mente Dei, necesse est esse etiam in se ipso: motus is tamen, atque ambulatio in se ipsa est libera; quia, quamvis necesse sit, esse in se ipsis, quæ sunt in mente, ac visione Dei; & ideo sint in se ipsis, qui status est adumbrationis, quia sunt in mente, ac visione Dei, qui status est veritatis; motus is tamen, atque ambulatio est a causa libera, quæ, si non potest ambulare in uno statu, sedere in altero; potest tamen in utroque statu simul, vel sedere, vel ambulare pro libito. Enimvero, pro cujus libito? Pro libito causæ ipsius. Nam, sicut in eo duplici statu, Veritatis scilicet, & Adumbrationis, est ambulatio, vel sessio, qui sunt ejus causæ liberi effectus; ita etiam in eo duplici statu est causa ipsa libera, electioque illa, qua, cum solutum ei causæ sit vel sedere, vel ambulare; suapte sponte, atque nutu, secundum potius, quam primum amplectitur. Rei hujus similitudinem habes in eodem Mundo posito in duplici loco boreali, & australi: utrobique enim homo ille vel ambularet, vel sederet pro libito suo: quippe utrobique idem homo, eadem electio, eadem actio externa existeret, sessio scilicet, vel ambulatio. Illud inter eam similitudinem, ac rem, de qua agimus, interest: quod ibi quidem cùm ad Boream, tum ad Austrum & homo ille esset verus

homo: & illa electio utrobique vera hominis electio: & illa actio externa sedendi, vel ambulandi, utrobique vera vel sessio, vel ambulatio. Contra verò in re nostra, ut paulo ante notatum est; homo ille, in se ipso quidem esset verus homo, in mente autem Dei, veritas exempta hominis: illa electio in se ipsa, vera hominis electio; in mente Dei, exempta veritas electionis humanæ: actio illa externa sedendi, vel ambulandi, in se ipsa, vera vel sessio, vel ambulatio; in mente Dei, sessionis, vel ambulationis exempta itidem veritas. Porro rerum veritas exempta, perseseque subsistens, est ipsum Esse, ut est in sese: hoc autem est Deus ipse. Cæterum similitudine hac, si ea recte utaris, nihil aptius invenias ad conciliandam cum Dei præscientia hominum libertatem: immo etiam ad eas controversias componendas, quas de Prædestinatione, de Gratia, & libero Arbitrio, magnis dissensionibus, studiisque hinc, & inde acerrimis disceptant Scholæ Catholicæ nobilissimæ, Thomistica, & Jesuitica. Eo certè spectasse puto eos veteres Patres, qui, ut retuli in prima Syst. par. duplicem mundum statuebant, alterum quidem externum, ac subjectum sensibus; alterum autem intelligibilem tantùm, ac sensibus omnino exemptum. Nam Augustinus etiam hæc scripsit l.2. de Ord.c.19. n.51. *pulchritudinem, cujus imitatione pulchra, cujus comparatione fœda sunt cætera, quisquis viderit; videbit, quomodo non repugnet, nihil futurum esse, quod non sit apud Deum, ex quo necesse est ordine omnia fieri, & tamen non frustra Deum rogari... In hoc enim sensibili mundo vehementer considerandum est, quid sit tempus & locus &c. in illo verò mundo intelligibili quamlibet partem, tanquam totum &c.* & Boethius lib. 3. de Cons. metr. 9. ita cecinit: *Tu cuncta superno*

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens &c.

& Petrus Dam. Opusc.36. c.2. ita scripsit: *Voluntas quippe Dei omnium rerum sive visibilium, sive invisibilium causa est, ut existant: adeo, ut condita quæque, antequam ad formarum suarum visibiles procederent species, jam veraciter, atque essentialiter viverent in sui Opificis voluntate.* & paulo infra: *Quæ*

foris

foris expressa sunt per conditionem operis, jam intra erant in providentia, & consilio Creatoris. Sed hæc infra etiam retractabuntur: nunc illud aio, his, & similibus, quæ plura, ex aliis etiam Patribus possent afferri, significari duplicem rerum statum: alterum alligatum loco, & tempori, quo res sunt in se ipsis; alterum vero omnino exemptum & loco & tempori, quo res sunt in mente Dei. Nec Philo, & Plato, aliique, qui duplicem mundum posuere, si id significare voluerunt, si exemptas rerum formas, ac veritates a Deo ipso, ut est in se, cogitatione tantùm, non re distinguebant; erroris arguendi, notandique sunt, sed laudandi: atque ex antiqua Schola Zetetica hæc etiam, ut alia plura, hausisse dicendi.

39. Jam verò Scientiæ divinæ perfectiones reliquas, quoniam ex hactenus dictis plana, & facilis est cujusque explicatio; neque eas singillatim persequi vacat; generatim omnes amplectimur: & qua ratione perfectissimè Deus omnia cognoscat, ex eadem Hypothesi ostendimus. Etenim cognoscentia quæ sunt, ut ipse etiam S.Thomas p.1. q.14. a.1. scriptum reliquit, *cognoscentia quæ sunt*, inquam, *a non cognoscentibus in eo distinguuntur; quod hæc quidem nihil habent, nisi formam suam tantùm; sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius. Nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata, & limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet majorem amplitudinem, & extensionem*. Ex hoc verò sic statuo: res in quo sint perfectiùs, ab eo etiam perfectiùs intelligi: in quo igitur sint perfectissimè, ab eo etiam perfectissimè intelligi. Porro autem, quòd in Deo res omnes perfectissimè sint; hæc ipsa est Investigatorum Hypothesis: quæ, cum non ponat, nisi unicum Esse, ut Catholicè est explicatum p.1. n.1. 2. & 21. ejusque Esse duos quasi status, atque modos distinguat, primum quidem rei, & veritatis; alterum autem adumbrationis, & similitudinis; ex ea sequitur, quidquid usquam est extra Deum; id omne esse etiam in Deo: & longè quidem perfectiùs in Deo, quàm alibi uspiam extra Deum: siquidem in Deo est ipsa & res, & veritas Entis, est ipse Deus; extra Deum autem, Entis simi-

ſimilitudo, atque adumbratio tantummodo eſt, creatura eſt. His omni parte congruunt, quæ ſupra dedimus ex Anſelmi Monol. *Quemadmodum in vivo homine veritas hominis eſſe dicitur, in picto verò ſimilitudo, ſive imago illius veritatis; ſic exiſtendi veritatem intelligi in Verbo; in his verò... quæ facta ſunt aliquid, aliquam imitationem &c. manifeſtum eſſe in Verbo, per quod facta ſunt omnia, non eſſe eorum ſimilitudinem, ſed veram, ſimplicemque eſſentiam: in factis verò non eſſe ſimplicem, abſolutamque eſſentiam, ſed veræ illius eſſentiæ vix aliquam imitationem... Nulli dubium eſſe, creatas ſubſtantias multo aliter eſſe in ſe ipſis, quàm in noſtra ſcientia. In ſe ipſis nanque ſunt, per ipſam ſuam eſſentiam: in noſtra verò ſcientia, non ſunt earum Eſſentiæ; ſed earum ſimilitudines. Reſtare igitur, ut tanto veriùs ſint in ſe ipſis, quàm in noſtra ſcientia; quanto verius ſunt alicubi per ſuam eſſentiam, quàm per ſuam ſimilitudinem. Cum ergo & hoc conſtet, quia omnis creata ſubſtantia, tanto veriùs eſt in Verbo, ideſt, in intelligentia Creatoris, quàm in ſe ipſa &c.* Ex his nec difficile illud intelliges, Deum cognitione ſua res creatas non ſolùm comprehendere, ſed & ſupercomprehendere, quia nempe eas non ſolùm habet, ſed ſuperhabet, ut ita loquar: in illo enim ſunt veritas; in ſe ipſis autem ejus veritatis imitatio, atque umbra.

40. Definiendum ſupereſt, utrum in Deo ſit eſse exemptum, ac veritas ipſa peccati; quoniam peccatum etiam locum habet in ſphæra Totius, quidquid autem eſt in ſphæra, ei reſpondet ſuum eſse exemptum in Centro: præterea peccatum etiam a Deo cognoſcitur; oſtenſum eſt autem, ut in nobis quidem cognitio ſit repræſentatio quædam, & imago rerum, res ipſæ veritas cognitionis; contra verò in Deo cognitionis repræſentatio, & imago quædam ſint res, rerum ipſarum veritas ſit cognitio. Ajo breviſſimè: actiones pravæ, ut pravæ ſunt, deficiunt a centro, hoc eſt, ab Eſſe, & Veritate: *nullum enim ens dicitur malum*, ait D.Thomas p.1. q. 49. a. 3. *per participationem, ſed per privationem participationis*. ut autem actiones illæ deficiunt a centro, nec progreſſiones Centri ſunt, nec ad ipſum referuntur: quòd ſi nec ex ipſo ſunt, nec ad ipſum; ſequitur, ut nec ſint

sint in ipso. Hæc Æbræi Zetetæ: una omnes & mente, & voce consentiunt Zetetæ Christiani. Ex innumeris, quæ in hanc sententiam possent afferri, hæc pauca habeto. Dionysius Ar. ut a Græcis exordium sumam, c. 4. de div. nom. §. 19. ita ratiocinatur: *Enimvero si res omnes ex bono sint, bonumque sit supra res ipsas; est quidem in ipso bono id etiam, quod nullum est: malum autem, non est. Aliter non planè est malum, nec id, quod non est. Nihil enim erit id, quod omnino non est, nisi secundùm modum quemdam supra essentialem in bono esse dicatur. Bonum igitur erit, & eo, quod omnino est, & eo quod non est, multo priùs, & superiùs locatum. Malum autem nec in iis est, quæ sunt; nec in iis, quæ non sunt, sed eo etiam quod non est, remotius est a bono, tanquam alienum, ac minus ens*. Malum deprimit infra illa ipsa, quæ non sunt: hæc enim licèt ex ipso Esse non participent, participare tamen possunt: iisque si minus ut existentibus, at certè ut possibilibus sua veritas respondet in Centro. Pergit in eandem sententiam Dionysius toto hoc capite, in quo illa præcipuè: *Non est malum res aliqua ... Malum vel non est in rebus, vel est in Bono; atqui in Bono non est, ergo &c. Non est malum, neque ens, neque inter entia &c. Malum est defectio boni*. Item: *Malum non est ens, neque inter entia malum. Nusquam enim est malum, quà malum est*. Denique: *Malum est privatio, & defectus, & infirmitas, & inconcinnitas, & error, & frustratio scopi, pulchritudinis, vitæ &c. statu carens, ipsumque nihil, ac nullo modo, & nusquam existens*: Eadem docet Dionysii interpres Maximus cùm in Scholiis ad cap. cit. tum apud Photium cod. 192. ubi *malum nihil esse prorsus, affirmat: eorum, quæ sunt, non qualitatem, non quantitatem, non relationem: sed nec affectionem, quæ in re aliqua existente naturaliter inesse cernitur. Itaque defectus est*, inquit, *actionis ad finem tendentis facultatum earum, quæ naturæ sunt insitæ*. Eadem Origenes: nam tom. 2. in Johan. ad illud, & sine ipso factum est nihil, eorum interpretationem approbat, qui *vitium minimè subsistere, ac nihil esse*, dicunt. Tum hæc subjicit: *Quantum igitur attinet ad significata hujus voculæ, nihil, & voculæ, non ens, synonima videbuntur esse, cum non ens dicatur nihil, &*

nihil

nihil non ens. *Itaque videtur Apostolus non entia dicere, non quæ omnino nequaquam sunt, sed ea, quæ sint prava, existimans prava non existere.* Iterum, paucis interjectis, *bonum*, inquit, *idem est cum existente; cum verò malum, aut pravum contrarium sit bono, & contrarium existenti sit non existens, sequitur malum, & pravum esse non existens.* Tandem, *omnes participantes ens, meritò erunt existentes, qui verò diffugiunt entis participationem, eo quod privati sint ente, facti fuerunt non existentes. Diximus autem superiùs, ens, & nihil, synonima, & univoca esse: & hanc ob causam, qui non sunt, nihil esse, & omne vitium etiam nihil esse, quoniam est non ens.* Vide præterea Origenis ejusdem longam de mali origine disputationem in cap. 23. Philocaliæ: quæ & apud Eusebium Cæsariensem in septimo de Præparatione sub finem legitur: ex quibus omnibus apparebit, quàm planè dissentiant ab antiquorum doctrina, qui docent, peccatum, rem esse quampiam solidam, & extantem: in eorumque genere esse, quæ *positiva* dicuntur, eo quod in rebus ipsis ponantur, nec sola ratione constent, ac rei privatione. Eadem, quæ modo apud Origenem, invenies apud Methodium in lib. de Malorum origine, quod extat in Biblioth. Phot cod. 236. apud Athanasium in lib. cont. Gentes. apud Theophilum Alexandr. in epist. Pasch. apud Titum Bostrensem in libris contra Manich. apud Basilium lib. 2. cont. Eunom. & in Homil. quod Deus non est auctor mali. Sed illustria in primis sunt, quæ de hac re habet Gregorius Nyssen. Primò enim tom. 1. homil. 7. in Eccles. *Hoc ergo*, inquit, *quod est per se bonum, sive quod est supra bonum, & ipsum verè est, & per se dedit, & dat iis, quæ sunt, facultatem, ut gignantur, & ut permaneant in esse. Quidquid autem extra ipsum consideratur, eo redigitur, ut non existat. Quod enim est extra id, quod est, non est esse. Quoniam ergo, ut charitati adversum consideratur vitium; Deus autem est perfecta, & planè absoluta virtus; extra Deum ergo est vitium, cujus natura non in eo, quod ipsum sit; sed in eo, quod bonum non sit, comprehenditur. Nam extra boni notionem, vitii nomen posuimus: ita consideratur vitium esse adversum bono; ut id, quod non est,*
ab

ab eo, quod est, tanquam ei adversum, distinguitur. His illud confirmatur, quod supra ex Schola Zetetica docui, vitii, & peccati non esse veritatem, seu esse exemptum in centro: quoniam non participatio boni sese extrinsecus diffundentis, sed privatio, ac defectio est. Secundò idem S. Doctor to.2. in orat. catechet. c.6. *Virtutis*, inquit, *& vitii sibi invicem adversantium distinctio non ita consideratur, tanquam duo sint, quæ cernantur consistere: sed quomodo ab eo, quod est, ex adverso distinguitur id, quod non est: neque dici potest, quòd per hypostasim, ac consistentiam distinguatur id quod non est, ab eo quod est; sed non ens dicimus enti ex adverso, in distinctione respondere: eodem modo etiam vitium adversatur rationi virtutis, cum per se non sit, sed intelligatur per absentiam ejus, quod est melius: & quomodo dicimus, in distinctione visui exadverso respondere cæcitatem, cum per se non sit in rerum natura cæcitas, sed sit privatio ejus, qui priùs fuerat habitus; ita etiam vitium dicimus considerari in boni privatione, veluti quamdam umbram, quæ accidit transitui radii*. Sed has similitudines diligentius est persecutus cap.5. in quo mali originem refert in ipsum hominis arbitrium liberè se bono fraudantis: eamque omnino a Deo removet, quia nihil aliud vitiositas est, quàm privatio quędam, vel recessus ab honestate: ut amotio quædam lucis, sunt tenebræ; orbitas, visûs. Tandem id ipsum docet in dialog. de Resur. & Anim. qui inscribitur Macrinia. Nysseno subscriptores accedunt Græci Patres reliqui omnes. Ita Dorotheus doctrin.10. & 11. Cæsarius dial.3. Diadochus c.3. Damascenus l.2. cap.30. n.2. *Illud quoque sciendum*, inquit, *Deum ipsum omnis boni fontem, & auctorem esse; ut, citra ipsius opem, & auxilium bonum velle, nec facere possimus: cæterùm nobis liberum esse in virtute perstare, Deumque ad eam vocantem sequi, vel a virtute abscedere, h. e. in vitio hærere, ac diabolum, qui nulla vi injecta ad illud nos vocat, ducem sequi. Neque enim vitium aliud quidquam est, nisi recessus a bono, veluti tenebræ, recessus a luce*. Is etiam, uti supra Nyssenus, & alii, peccatum, ac vitiositatem a Deo auctore non esse probat, quia nihil aliud est, quam privatio, recessusque a bono. Eadem scribit lib.4. c.2. num.5. Hæc Patres Græci,

 qui-

quibus adstipulantur Latini, malumque rem ullam verè, & propriè esse pernegant: negationem, privationemque rei, ac defectionem appellant. Ambrosius contra Manichæos, Marcionistas, & Valentinianos disserens, *malum nullam creaturæ prærogativam habere dicit*: *esse mutabilitatis vitium, & errorem prolapsionis*. Hieronymus in c.3. Hierem. *Mala, quæ nullâ suâ naturâ subsistunt, a Domino non creantur*. Apud Augustinum nihil frequentius, lib.3. Conf. c.7. n.12. *Non noveram malum non esse, nisi privationem boni, usque ad quod omnino non est*. Lib.2. de Mor. Manich. c.4. n.6. *cujus defectûs Deus auctor non est, quia existendi, &, ut ita dicam, essendi auctor est. Ita & malum ostenditur quomodo dicatur; non enim secundùm essentiam, sed secundùm privationem verissimè dicitur*. Lib.8. de Gen. ad lit. c.14. n.31. *Neque enim ulla natura mali est, sed amissio boni hoc nomen accepit*. Enar. in Psalm. 7. n.19. *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: non quod aliqua sit natura tenebrarum. Omnis enim natura, inquantum natura est, esse cogitur. Esse autem ad lucem pertinet: non esse ad tenebras. Qui ergo deserit eum, a quo factus est &c.* lib.83. Quæst. q.6. *Malum nulla specie continetur, totumque hoc nomen mali de speciei privatione repertum est*. q.21. *Quisquis omnium, quæ sunt, auctor est, & ad cujus bonitatem id tantùm pertinet, ut sit omne, quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem, quod deficit, ab eo, quod est esse deficit, & tendit in non esse. Esse autem, & in nullo deficere bonum est, & malum est deficere. At ille, ad quem non esse pertinet, non est causa deficiendi, idest, tendendi ad non esse; quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est: & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium, quæ sunt, auctor est: quia, in quantum sunt, in tantum bona sunt*. In Ench. ad Laurent. c.11. n.3. *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi privatio boni? Nam, sicut corporibus &c.* lib.12. de Civit. c.7. *Nemo igitur quærat efficientem causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio &c.* cap. autem 9. *Cum ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel, si dici potest, essentialis nulla sit causa... nec*

talem

talem voluntatem facit, nisi defectio, qua deseritur Deus, cujus defectionis etiam causa utique deficit. Alia plurima in eandem sententiam in reliquis omnibus Augustini operibus inveniuntur, quæ, quoniam mens S. Doctoris jam est manifesta, referre supervacaneum est. Sed & Patres reliquos nomine tenus hic appellare sat fuerit. Auctor Hypognost. apud August. lib.4 c.1. Paulinus epist.38. Prosper sent.144. 176. 228. Leo Papa ep.93. ad Turib. c.6. Gennadius l. de Eccles. dogm. c.60. Boethius l.3. de Conf. Prof.12. Fulgentius l. de Fid. ad Petr. c.21. n.62. Gregorius Magn. l.3. Mor. cap.7. Isidorus l.1. de sum. bon. c.11. Albinus Flaccus l. Inter. in Gen. Inter.93. Petrus Dam. opusc.36. c.9. Hugo Victor. l.1. Miscel. tit.185. Bernardus serm.1. in Annunc. & Serm. de trip. cohær. vincul. clav.&c. Honorius Augustodunensis lib. de Prædest. Excribendum aliquid ex Anselmo, & Thoma, qui propositum nostrum, sententiamque Zeteticam mirè provehunt. Primus enim, præter id, quod habet in lib. de casu diab. c.9. & lib. de Concept. Virg. cap.5., in Com. ad cap.11. ep. ad Rom. ita scribit. *Ex ipso sunt omnia, idest, bona voluntas, & bona actio, & omnes naturæ. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturaliter subsistentia non sunt, sed benè conditam substantiam vitiant.* Bonarum quidem & voluntatum, & actionum nostrarum exemptum esse, ac veritas est in Deo: secus verò malarum, quæ ipsius participationes non sunt. Melius Quæst.1. de con. Præsc. & lib. arb. c.7. *Restat nunc, ut consideremus, cum Deus omnia præscire, sive scire credatur; utrum ejus scientia sit a rebus, an res habeant esse ab ejus scientia. Nam, si Deus a rebus habet scientiam; sequitur, quòd illæ priùs sint, quàm ejus scientia, & sic a Deo non sint: a quo nequeunt esse, nisi per ejus scientiam. Si verò quæcunque sunt, a scientia Dei sumunt essentiam; Deus factor, & auctor malorum operum est: & ideo non justè punit malos: quod non suscipimus.* Quam controversiam non ea ratione dirimit, ut dicat, scientiam visionis rebus prævisis anteire physicè, non logicè: sed hæc subjicit, doctrinæ Zeteticæ maximè consentanea: *Hæc autem quæstio facilè solvi potest, si priùs cognoscitur bonum, quod est justitia, verè ali-*

quid esse; malum verò, quod est injustitia, omni carere existentia. Quod in tractatu de casu diaboli: & in libello, quem de Conceptu Virginali, & peccato originali titulavi, apertissimè monstravi. Non est enim injustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia; sed tantùm absentia debitæ justitiæ: nec est, nisi in voluntate, ubi debet esse justitia. Per quam voluntatem justam, vel injustam &c. Omnis quippe qualitas, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam, a Deo est: a quo est omnis justitia: & nulla injustitia: facit igitur &c. Loci hujus quod reliquum est, dabimus Prop. seq. n.44. quod spectat ad rem præsentem; solorum bonorum veritas, sive esse exemptum est in Centro, non autem malorum: neque id est absurdum, malum enim, qua malum est, Anselmi, & Patrum reliquorum sententia, nihil est: quod autem nihil est, radius non est in sphæra Totius: quod si radius non est, ejus esse exemptum non est in centro: neque ab ipso progreditur, neque ad ipsum refertur. Non minus dilucidè, & perspicuè id ipsum docuit Thomas Aquinas p.1. q.48. art.1. corp. *Bonum est omne id, quod est appetibile, & sic, cum omnis natura appetat suum esse, & suam perfectionem; necesse est dicere, quòd esse, & perfectio cujuscunque naturæ, rationem habeat bonitatis. Unde non potest esse, quòd malum significet quoddam esse, aut quamdam formam, seu naturam. Relinquitur ergo, quòd nomine mali significetur quædam absentia boni.* Quocirca ad rem præsentem q.49. a.3. ad 4 *dicendum*, inquit, *quòd nullum ens dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis.* Quæst. autem 1. de malo ar.1. ad 2. *Bonum, & malum*, inquit, *opponuntur, ut privatio, & habitus: quia, ut Simplicius dicit in com. Prædicam. illa propriè dicuntur contraria, quorum utrumque est aliquid secundùm naturam, sicut calidum, & frigidum, album, & nigrum: sed illa, quorum unum est secundùm naturam, & aliud recessus a natura, non opponuntur propriè, ut contraria: sed, ut privatio, & habitus ..... tenebra non est contrarium lumini, sed privatio ..... unumquodque est magis malum altero, non per accessum ad aliquid summè malum, vel per participationem diversam alicujus formæ: sed dicitur aliquid magis, vel minus malum, secundùm quod*

quod magis, vel minus privatur de bono. Item q.16. a.2. c. *Malum dicitur unumquodque ex eo, quod aliqua perfectione sibi debita privatur*. Tum ad 12. *dæmon peccavit voluntate deficiente, & ipse defectus voluntatis est peccatum ejus*. Quæ quidem omnia, & innumerabilia præterea ejusdem modi gravissima, & luculentissima, cùm apud D. Thomam, tum apud omnes Patres Græcos, & Latinos; ii, qui malum, etiam quà malum est, rem esse aliquam, & *positivum* quiddam opinantur, nescio, utrum pejus faciant, cum aut in rem suam detorquere conantur; an verò, cum negligunt, ab iisque apertè dissentiunt. Hæc verò a nobis eo consilio sunt allata, ut appareat, rectè Zeteticam Scholam, quæ Deum, Centrum Totius definit; a Deo ipso veritatem exemptam malorum excludere: cum malum, quà malum est, non ipsius Esse, & Veritatis participatio sit, sed participationis mera privatio. At enim, si peccatorum veritas exempta in Deo non est, Zetetarum sententiâ; quonam pacto docent ab eo peccata cognosci, cum ejus cognitio, ipsa rerum veritas sit? Id quidem, si ponatur, Deum nihil, nisi in se ipso cognoscere, ne peccatum quidem; apud omnes explicatu perdifficile est: apud antiquos Indagatores verò minus difficultatis habebat. Immo eorum doctrina conciliari facilè posse puto Scholasticos inter se dissidentes. Peccatum enim ex opposita bonitatis ratione cognosci a Deo, communis omnium sententia est: utrum autem ex bonitate ipsa Dei, an vero ex ea peculiari bonitate, atque honestate virtutis, cui proximè, directòque peccatum quodque adversatur; in hoc quidem discordant: plerique tamen, &, ut ait Gabriel Vasquius acutissimus Societ. Theologus, multo probabiliùs secundum defendunt. His ita assentior; ut tamen, ex iis quæ hactenus, tradidi ex Schola Zetetica, virtutem illam ipsam a Deo, non nisi in semetipso, ubi ejus virtutis exemptum esse, & veritas est; intelligi concedam. Quo in unum coire videntur duæ nuper memoratæ sententiæ, ut Deus nimirum & peccatum intelligat in ea virtute, cum qua directo, & proximè pugnat, & tamen in semetipso habeat, ubi illud intelligat. Atque hìc tandem perspicuum fit, quod supra

pra citavimus ex cap.7. de div. nom. *Lumen non aliunde videre tenebras, quam a lumine*: cui consentaneum est, quod habet D. Thomas cùm hic in Scholiis; tum etiam p.1. q.14. a.10. c. in quo sic legitur: *unumquodque est cognoscibile, secundùm quod est: unde, cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni: per hoc ipsum, quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ &c.* quam doctrinam tradit etiam q.48. a.1. c. *Unum scilicet oppositorum cognosci per alterum, sicuti per lucem tenebræ &c.* Id ipsum vide fusius tractatum in 1. sent. dist.36. q.1. art.4. q.2. art.3. ad 1. Item q.2. de Verit. a.8. ad 18. & Quodl. 11. a.2. &c.

41. Restat huic disputationi locus vel maximè necessarius de Futuris conditionalibus, cujusmodi esse dicitur Pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, de qua ita scriptum est Lucæ x. 13. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent*. De hoc verò, si teneatur Hypothesis, quam authoritate, & ratione initio stabilivimus, quid Investigatrix Schola sentiret, obscurum esse non potest. Deus enim, ejus Scholæ definitione, est ipsa Veritas, seu Centrum omnium verorum: cum igitur verum sit, Tyrios, & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, si aspexissent Christi miracula; eorum pœnitentia, quamvis nec fuerit, nec sit, nec futura sit unquam; pars est tamen, & radius quodammodo in sphæra Veri, &, quod consequens est, habet in Centro esse quoddam exemptum, veritatemque separatam, quæ ipsi respondeat: aliam procul dubio habitura; si, aut Christus apud Tyrios, & Sidonios prodigia illa patrasset re ipsa; aut si Tyrii, & Sidonii pœnitentiam egissent, iis etiam portentis apud ipsos a Christo non editis. Nam, quemadmodum non est absurdum, sententiâ vestrâ, aliam tunc fore in Deo ex omni æternitate ejus pœnitentiæ notionem, repræsentationemque; sic, veterum Zetetarum judicio, absurdum non est, aliud tunc fore in Deo ex omni pariter æternitate, ejus pœnitentiæ esse exemptum, & veritatem. Siquidem, ut supra explicavimus, ratio illa exempta veri esse, seu veritas, quam res habent in Centro

tro

tro totius entis, ac veri, hoc est, in ipso Esse, & Veritate; rebus ipsis planè respondet, ac congruit: nec prædicata, quæ vocant, necessaria tantummodo afficit, & attingit; sed etiam contingentia, eaque omnia, quæ cuique rei συμβεβηκότως adveniunt.

PROPOSITIO VIII.

Deus vult.

42. DEum intelligere quibus rationibus, & argumentis ostensum est proximè; iisdem fere ostendi potest & velle. Huc igitur ea sunt revocanda, quæ sub ipsum præcipuè superioris disputationis initium tradidimus. Tum, quoniam Schola vetus Zetetica, res a Deo procreatas, totidem quasi Divinorum umbras esse dicebat; ne quis ita dictum accipiat, ut, tanquam umbra ex corpore, sic mundum ex Deo necessariò manasse crederet, qui vetus fuit aliquorum philosophorum error, quos coarguit Basilius homil. 1. in Hexam. & ex ipso Ambrosius l. 1. c. 5. adjungendum statim eadem ex Schola, quod Deum demonstret, quæ vult extra se, non coactu, aut necessitate aliqua, sed prorsus liberè velle: ut, quamquam in illum deliberatio non cadit, quæ cum inscitia est, & ignotæ rei inquisitione conjuncta; plenam tamen agendi, vel non agendi; hujus, vel illius amplectendi, repudiandive potestatem habeat; sitque in eo rerum, quas condit, solutissima electio, & arbitrium. Id verò antiqui Zetetæ confici posse putarunt ex ipsa primùm scientia, atque intelligentia Dei: id enim omne, in quo ratio, & intelligentia est, universè liberum, suique juris, & arbitrii esse dicebant; quod ex ipsis expressum fideliter est a Nemesio, Christiano philosopho; qui cap. 41. causam afferens, cur homines liberi a natura facti sint; *dicimus*, inquit, *cum ratione naturâ conjunctam esse liberam voluntatem*, & ab Honorio Augustod. qui in libro de Præd. & lib. arb. *Quibus*, ait, *inest ratio*, *inest etiam volendi*,

di, *nolendique libertas*. Probabant secundò ex ipsa proximè Hypothesi: tum quia, si ipsum Esse in re aliqua extra se necessariò existeret, cum existendi necessitas veri Esse character, & proprietas sit; sequeretur, ipsum Esse non solùm in sese, sed etiam extra se ipsum progredi, intra rationem veri esse: contra quàm supra jam sit stabilitum. Tum etiam, quia, si quo progrediendum ipsi foret extra sè necessariò; jam non esset illud Esse maximè exemptum, ac segregatum ab omni natura creata, quod supra posuimus: immo nec sibi plenè sufficiens, nec ex se ipso tantùm undique aptum, atque perfectum; si non electione, & arbitio; sed naturâ ipsâ, rei extra se cuipiam devinctum, atque obligatum, obstrictumque foret. Hisce rationibus planum faciebant antiqui illi Sapientes, Deum, tametsi quidquid facit in tempore, voluit illud, decrevitque apud sese, ab omni prorsus æternitate, idest, in statu exempto a tempore, seu, quod idem est, in Centro; voluisse tamen, ac decrevisse liberè. Hoc posito, quod sequitur videndum est, ex eorundem disciplina, quid nam sint hæ divinæ voluntates (eas enim, ut ipsi, sic nos cogitatione distinguimus) decretaque illa, quibus in res extraneas, sive procreandas, sive alia quapiam ratione procurandas divina se vis, ac bonitas effundit. Perspicuum verò est, ab iisque desertè testatum sæpissime, quid hoc esse vellent. Verum enim, exemptumque illud esse, Deo quidem ipsi liberum, sed tamen æternum, atque immutabile, quod, eorum sententiâ, res aliquando, & alicubi extituræ antehabent in Centro; illud ipsum Dei & scientiam, & voluntatem esse dicebant: ut, quemadmodum scientia Dei, primaria rerum veritas est, formaque illa, aut quasi forma, ex qua verè, & propriè ab omni æternitate denominatum est verum, quidquid est verum; sic voluntas Dei primarium sit esse rerum, &, ut ait Anselmus, *principalis essentia*, ex qua, tanquam a forma rem extrinsecùs afficiente, ab omni æternitate denominatum est exiturum, (exiturum nostro intelligendi more, æternitati enim, quæ exempta est a tempore, nihil futurum est) quidquid alicubi, & aliquando existit. Quare, sicut

ſicut omnium verorum veluti centrum, unitatemve ponebant Dei ſcientiam, hoc eſt, rerum ipſarum veritatem ſeparatam; ſic omnium entium veluti centrum, & unitatem conſtituebant Dei voluntatem, hoc eſt, rerum earundem eſse ipſum exemptum. Quod ſignificaſſe videtur R. Moſes Majem. More Nevoch. l.1. c.69. cum ſcripſit, *per ejus exiſtentiam omnia exiſtunt, non quidem tanquam per formam proximam, & immediatam, ſed remotam, & ultimam.* Immo & D. Thomas, qui p.1. q.6. a.4. *a primo*, inquit, *per ſuam eſſentiam ente, & bono, unumquodque poteſt dici bonum, & ens, inquantum participat ipſum, per modum cujuſdam aſſimilationis ... & ſic bonitas una omnium, & etiam multæ bonitates.* Tum q.16. a.6. *Si loquamur de veritate, ſecundùm quod eſt in rebus, ſic omnes ſunt veræ una prima Veritate, cui unumquodque aſſimilatur, ſecundùm ſuam entitatem. Et ſic, licèt plures ſint eſſentiæ, vel formæ rerum, tamen una eſt Veritas divini intellectus, ſecundùm quam omnes res denominantur veræ.* Tandem q.1. de Ver. a.4. *Si accipiatur veritas propriè dicta, ſecundùm quam omnia principaliter vera ſunt, ſic omnia ſunt vera una veritate, ideſt, veritate intellectus divini ... ſi autem accipiatur veritas impropriè dicta, ſecundùm quam omnia dicuntur vera, ſic ſunt plurium verorum plures veritates ... Quamvis res exemplentur difformiter a veritate divina, non tamen propter hoc excluditur, quin res una veritate ſint veræ, & non pluribus propriè loquendo, quia id, quod diverſimodè recipitur in rebus exemplatis, non propriè dicitur veritas, ſicut propriè dicitur veritas in exemplari.* Sed inſtar omnium, quos hìc referre, per tempus non licet; duo illi ſint Zetetæ Chriſtiani præſtantiſſimi, ex Græcis Dionyſius, Auguſtinus ex Latinis. Hanc doctrinæ Zeteticæ partem adumbravit Dionyſius cap.5. de div. nom. ait enim §.4. *Deus enim non quovis modo eſt ens, ſed ſimpliciter, & infinitè totum eſſe in ſe pariter complexus, & anticipans. Quamobrem etiam Rex ſæculorum nominatur, ut in quo, & penes quem cujuslibet eſſe & ſit, & conſtet ... ipſe eſt eſſe rebus: & non tantum ea, quæ ſunt, ſed ipſum eſſe rerum.* Quid nam verò ſit hoc eſſe exemptum, & æternum, quod res habent in Deo, explicat in fine §.8. cum

scribit: *Exemplaria verò dicimus, esse rationes in Deo substantificas rerum, & unitè praexistentes, quas divinus sermo vocat prædefinitiones, & divinas, atque bonas voluntates, rerum definitrices, & effectrices; secundùm quas, qui est supra substantiam, omnia, quæ sunt, prædefinivit, & produxit.* Esse illud, ac veritas rerum exempta, quæ est in Deo, est idem scientia, & voluntas; exemplar, & prædefinitio. Ad idem esse, ac veritatem exemptam, qua res & veræ, & futuræ denominantur ab omni æternitate, alludere visus est Augustinus, cum scripsit l.2. de lib. arb. c.16. n.45. *Hinc etiam comprehenditur, omnia providentiâ gubernari. Si enim omnia, quæ sunt, forma penitus subtracta, nulla erunt, forma ipsa incommutabilis, per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur, & agantur, ipsa est eorum providentia.* Sed de hac forma plura diximus num.33. Ad idem esse, & Veritatem rerum spectavit S. idem Doctor in Tract.68. super cap 14. Johan. scribit enim n.1. *Quomodo ergo mansiones in domo Patris non aliæ, sed ipsæ, & sine dubio jam sunt, sicut parandæ non sunt; & nondum sunt, sicut parandæ sunt? Quomodo putamus, nisi quomodo etiam Propheta prædicat Deum* (Isa.XLV.11. sec.LXX.), *quia fecit quæ futura sunt? Non enim ait, Qui facturus est, quæ futura sunt: sed, Qui fecit, quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si non ipse fecit; neque futura sunt, si ipse non fecerit: fecit ergo ea prædestinando, & facturus est operando. Sicut discipulos, quando elegerit, satis indicat Evangelium: tunc utique, quando eos vocavit: & tamen ait Apostolus; Elegit ante mundi constitutionem: prædestinando utique, non vocando.* Nempe, ut dictum est supra, esse illud verum, & exemptum, quo, priusquam in se ipsis, sunt res omnes in Deo, ipsum est, Inquisitorum sententiâ, scientia illa, qua Deus res ipsas ex omni æternitate cognovit: ipsum voluntas, qua de iisdem, itidem ex æternitate, decrevit: factum autem verè non est, quia nil factum in Deo; sed factum dicitur, quia ipsa effectæ rei, ejusque effectionis veritas est. Quomodo autem existat in Deo, explanabimus in altero Systemate de Deo Trino. De illo esse scripsit Augusti-

gustinus idem enarrat. in Psalm.49. n.18. his verbis. *Jam certè noverat, quod crearat, & , antequam crearet, noverat. Tanta est ergo notitia Dei, ut apud ipsum essent quodam ineffabili modo, antequam creata essent: & a te expectat, ut accipiat, quod, antequam crearet, habebat*. Item in Psalm.105. n.35. *apud Deum quidem disposita, & fixa sunt omnia ... & futura jam fecit*. Et lib.13. de Civ. c.16. *Quomodo autem promisit, cum hominibus utique promiserit, qui nondum erant, ante tempora æterna; nisi, quia in ipsius æternitate, atque in ipso ejus Verbo eidem coæterno, jam prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat*. Tandem lib.2. de Ord. c.19. num.51. *Pulchritudinem, cujus imitatione pulchra, cujus comparatione fœda sunt cætera, quisquis viderit; videbit, quomodo non repugnet, nihil futurum esse, quod non sit apud Deum, ex quo necesse est, ordine omnia fieri, & tamen non frustra Deum rogari &c.*

43. Sed hìc iterum Scholæ Zeteticæ objici potest; actum esse de libertate creata, si res ita componatur: Cui autem Scholam illam defendere propositum foret, eadem fortasse reponeret, quæ supra exposui; non esse, cur libertati nostræ timeamus, ab hac rerum anticipatione, sive esse exempto: etiamsi sit æternum: etiam si ratum, fixum, immutabile sit: etiamsi, quod hic peculiariter addimus, sit planè liberum Deo: sit, ut Investigatores dicebant, ipsissima ejus libera voluntas, arbitrium, electio. Nam primò, etsi Deo solutissimum fuerit, quam in se ipso, modo quodam exempto, humanarum actionum veritatem antehaberet; si tamen hæc anticipatio rei, licèt æterna, est in eodem signo, ac res ipsa; quòque signo Deus ante omne tempus voluit, seu veriùs extra omne tempus vult, esse in se ipsò veritatem v.g. illius assensus, quem Christo Domino vocanti præstiterunt Apostoli; eodem signo extitit assensus ipse tempore suo; Divinæ voluntatis, atque electionis libertas, humanæ voluntatis, atque electionis libertati quid obsit, non video. Quod autem ie ita res habeat, difficilè quidem obtineat Schola Scotistica in suo Systemate; Schola verò Zetetica in suo, non ita difficilè. Etenim, cum libera Dei vo-

luntas, & electio, sit ipsamet veritas illius assensus, ut ponunt Zetetæ; veritas autem rei sit in eodem signo, ac res ipsa; neque enim priùs verum est, rem esse futuram, quàm sit futura: duoque ista, ne cogitatione quidem disjungi, ac distrahi invicem possunt; consequens est, liberam Dei voluntatem, atque electionem eodem prorsus signo teneri, atque ipse ille assensus, sive electio, & voluntas libera hominis. Nec verò, si hujus Systematis Hypothesis concedatur, ratione illa premi, urgerique possunt Zetetæ, quæ sanè angit Scotistas; Unde nam perpetuus iste duarum Voluntatum consensus? harmoniam, concentumque istum, quæ ratio, quæ auctoritas probat? In promptu enim est, quo se facilè expediant; siquidem Deus, ut habet Hypothesis, quam authoritate, & ratione supra munivimus; est ipsa Veritas per se subsistens: hæc autem est Veritatis natura, ut illud ipsum, quod est apud nos in loco, & tempore; sit in illa exemptum a loco, & a tempore: nec alius sit liber hominis assensus in se ipso, alius in veritate; sed qui in se ipso habet esse quoddam adumbratum, falsumque, ut Patres loquuntur; esse germanissimum, ac sincerissimum habeat in Veritate. Esto igitur probari non satis possit decretum illud *Condeterminans*, quod tuendæ hominum libertati excogitatum est a sapientissima, & subtilissima Scotistarum Schola; nam, præter alia, quæ iis objici possunt, durum certè est, & planè ad arbitrium confictum videtur, ut quidquid homo liberè, & suapte sponte, atque nutu eligit in tempore; in eodem signo, & omnino pariter liberè decretum sit a Deo, ante omne tempus; quia nempe, Scotistarum sententiâ, æternum illud Dei decretum non est ipsa veritas electionis habitæ ab homine pro sua temporis differentia; at verò non est, quod hac ex parte improbari, atque impeti possit Zetetarum doctrina: siquidem, ut ipsi sentiunt, decretum illud, quo Deus vult rectam aliquam hominis actionem, laudabilemque, & salutarem assensum; actionis, assensusque illius, est ipsa veritas: ac, licèt duo quædam sint inter se maxime disjuncta, & distantia, ut exemplar scilicet, & imago; verum, & falsum; non aliud ens tamen est
ele-

electio Dei, aliud electio hominis; sed id ipsum, quod hæc est, adumbratione, & similitudine; illa est, re, & veritate. At enim hoc, quod idem est in Deo, & in Homine; in Deo quidem, tanquam in statu veritatis; in homine autem, tanquam in statu adumbrationis; cui nam liberum est, Zetetarum judicio, homini ne, an Deo? Utrique liberum est: sed Deo liberum est in statu veritatis, secundùm quem statum dicitur electio, seu decretum Dei: homini autem liberum est in statu adumbrationis, secundùm quem statum dicitur electio, seu assensio hominis. Ita scilicet, ut electio, seu decretum Dei, sit electio, sive assensio hominis in statu lucis: contra verò, electio, seu assensio hominis, sit electio, seu decretum Dei in statu umbræ. Expecto, subjunget hic aliquis, expecto jam, dum dicas, Ebræorum sententiâ, Deum esse hominem in statu lucis; hominem autem esse Deum in statu umbræ: Enimvero hoc etiam in eorum monumentis invenio: ac, si rectè intelligatur, a vero, & Catholico sensu nequaquam abhorreat. Quid enim? licet vobis in mente Dei ponere similitudinem, sive imaginem hominis; Zetetis non liceat ibidem ponere veritatem, seu esse illud verum, & exemptum, quod adumbratur in homine? Quoniam verò Deus id, quod habet, illud est; cur absurdè dicatur, Deus est hominis veritas; si absurdè non dicitur, Deus est hominis repræsentatio? At, dicitis, non hominis solius repræsentatio est Deus, neque enim rei hujusce dumtaxat, in ejus mente similitudinem, & quandam quasi imaginem ponimus. Nec antiquis Ebræis, Deus erat solius hominis veritas, seu illud esse, quod homo solus habet in statu lucis: id enim, ipsorum judicio, tam planè est absurdum, & ad contradictionem implicat, quàm quod Centrum sit esse exemptum unius radii tantummodo. Hæc habet eorum Hypothesis; Deus est ipsum Esse: ipsa Veritas: Unitas, Centrum totius: sive Totum extra totum. Et hæc quidem, ut initio monuimus, dicta sunt ab ipsis, non ut explicarent, Deus quid sit, secundùm se ipsum; id enim supra hominum captum longè positum esse dicebant; sed, ut habitudinem illam exprimerent, qua spectat extra se ipsum

ſum ad res creatas, eaſque gubernat, atque adminiſtrat. Sed hæc aliàs etiam refutavimus.

44. Nunc, ut ad hominis libertatem redeamus, de qua potiſſimùm inſtitutus hic nobis ſermo erat; quoniam iſtiuſmodi naturæ ſigna, quæ noſtri vocant, minimè notata ſunt ab antiquis Ebræis, iiſque fortaſſe non agnita; ea ratio jam eſt exponenda, quam certò ab iiſdem initam conſtat, ut hæc æterna Dei decreta, prædeſtinationes, voluntates, Deo ipſi planè liberas; liberæ itidem hominum facultati nihil officiant. In Dei quidem, dicebant, poteſtate, & arbitrio fuit, quem vellet ab omni æternitate rerum ordinem ſtatuere, ac præfinire. Quia verò *melius judicavit etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere*; ideo, quod ad actiones liberas angelorum, & hominum pertinet, univerſa Dei decreta in Sanctiones, ac Permiſſiones bifariam dividimus. Sanctio quidem, dicebant, eſt illud eſſe, quod in Centro reſpondet actioni rectæ in aliqua ſphæræ Totius parte exiſtenti: quod eſſe exemptum, ut Deo liberum eſt, Dei voluntas, decretumque dicitur; ut verò nexum cum eo eſt, quod actio illa recta, pro ſua ſphæræ differentia exiſtat; non qualecunque decretum, aut voluntas, ſed Sanctio nuncupatur. Permiſſio autem eſt illud eſſe, quod in Centro opponitur actioni pravæ, ut prava eſt, hoc eſt, ut ab eſſe deficit: eidemque reſpondet, ſecundùm omnes rationes, tum quibus ex ipſo eſſe participat; tum quibus participare deberet, ut recta foret: Porro hoc eſſe exemptum, quia & ita opponitur pravitati actionis hujus, ut eam eſſe tamen ſinat; & ita reſpondet bonitati, cujus actio illa eſt expers; ut cum ea bonitate nectatur, tantùm ut poſſibili, ac debita, non verò ut etiam futura; idcirco Permiſſio appellatur: quòdque id etiam eſt Deo liberum; Permiſſio libera Dei propterea dicitur: ſive etiam voluntas non quidem ſanciens, ſed tantùm permittens. Ad hanc Permiſſionem, ſive eſſe exemptum, a quo deficit actio prava, ut prava eſt, quique cum ea bonitate, atque integritate, qua caret actio, eadem, nectitur, non ut exiſtente, ſed ut poſſibili, ac debita; quòque verum eſt, non quid erit, ſed quid eſſe poſſet, ac deberet

beret actio illa; ad hanc, inquam, Permissionem, seu esse exemptum allusit Anselmus q.1. de concor. Præsc. & liber. arb. c.7. cujus initium dedimus num.40. reliquum, quòd huc pertinet, nunc daturi. Docet ibi Anselmus, tametsi res sunt a scientia Dei, non autem scientia Dei a rebus; Deum tamen malorum operum auctorem non esse, quia mala opera, ut mala sunt deficiunt ab esse: nec habent in Deo, quod ipsis respondeat, ut mala sunt, sed quod iis opponatur: quoque verum sit, quid esse deberent, non autem directè, quid sint. Loco igitur supra citato ita pergit: *per quam voluntatem justam, vel injustam, dicitur omnis rationalis natura, & qualibet ejus actio, justa, vel injusta. Omnis quippe qualitas, & omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam, a Deo est, a quo est omnis justitia, & nulla injustitia: facit igitur Deus omnia, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, idest, bona opera, & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit quod sunt, sed non quod mala sunt. Nam omni rei esse justam, vel bonam, est aliquid esse; nulli verò rei est esse aliquid, injustam, vel malam esse. Siquidem bonum, vel justum esse, est justitiam habere, quod est aliquid. Malum verò esse, vel injustum, est non habere justitiam, quam debet habere.* Audis? in Deo est, quid sit actio recta; in Deo pariter est, quid sit actio prava, ut habet aliquid boni: ut verò prava est, in Deo est, quid esse deberet: ut prava enim est, ab illo esse deficit, quod habere deberet: ac rectè esse illud exemptum, quod ei actioni partim quidem respondet, partim autem opponitur; rectè, inquam, Permissio dicitur: qua enim opponitur, eo quidem verum est, quid esse deberet actio illa; non autem præterea, quid sit futura; cum futura non sit, quod deberet: nec futura non esset, quod deberet; si per illud esse exemptum, seu veritatem, verum esset non solum, quid esse deberet, sed etiam quid sit futura. Dei permissu igitur est actio prava, qui ante omne tempus voluit in se ipso esse verum, eam fore; & non præterea voluit in se ipso esse verum, eam talem fore: ea scilicet veritate contentus, qua ex æterno verum fuit, eam talem esse posse, ac debere. Nec propterea Deus non

cer-

certò scit, utrum futura sit, qualis esse posset, ac deberet, nec ne: siquidem in illa veritate, seu esse exempto, quod habet in sese; quà actioni illi respondet, ac congruit; videt eam esse futuram; quà verò ipsi adversatur, seu quo verum dumtaxat est, quid esse possit, ac debeat; videt eam bonam esse dumtaxat potuisse, ac debuisse. Quod autem est, & bonum esse dumtaxat potest, ac debet; id malum est. Ex quo illud faciliùs intelligis, quod habent Patres, ac Theologi Catholici passim; Deum bona quidem in se ipso directè, propriisque ipsorum rationibus; mala verò ex ratione iis opposita, & quasi ex obliquo intueri. Sed ad Anselmum redeamus, qui rem supra propositam ita concludit. *Sic igitur facit Deus in omnibus voluntatibus, & operibus bonis, & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt; in malis verò, non quòd mala sunt, sed tantùm quod per essentiam sunt. Quemadmodum enim non est essentia rerum, nisi a Deo; ita non est recta, nisi ab ipso. Hujus verò rectitudinis, de qua loquor absentia, quæ est injustitia, non est, nisi in voluntate rationalis creaturæ, quæ semper debet habere justitiam. Cur autem non habeat, quam semper debet habere &c.* Hanc eamdem doctrinam multimodis expressit D. Thomas: primò, cum docuit, malum non habere ideam in Deo: sic enim scripsit p.1. q.15. ar.3. ad 1. *Malum cognoscitur a Deo non per propriam rationem, sed per rationem boni, & ideo malum non habet in Deo ideam, neque secundùm, quod idea est exemplar, neque secundùm, quod est ratio*, hoc est, ut ipse explicat in corp. articuli, neque secundùm id, quo idea nexa est cum rebus ut extituris; neque secundùm id, quo iisdem illigata est, dumtaxat ut possibilibus. Similiter q.18. a.4. ad 4. *Licèt*, inquit, *mala sint in Dei scientia, in quantum sub Dei scientia comprehenduntur, non tamen sunt in Deo, sicut creata a Deo, vel conservata ab ipso, neque sicut habentia rationem in Deo. Cognoscuntur enim a Deo per rationes bonorum: unde non potest dici, quod mala sint vita in Deo.* Idemque docet in 1. sent. d.36. q.2. a.3. ad 1. in 3. d.14. a.2. q.2. corp. aliisque quampluribus in locis. Secundò doctrinam eandem exhibuit, ubicumque docuit, actionem pravam, ut est quidem, esse a Deo:

Deo: non autem ut prava est: qua de re præcipuè scripsit Q.3. de Malo a.2. in hæc verba. *Necesse est enim, omnes motus causarum secundarum causari a primo movente; sicut omnes motus inferiorum corporum causantur a motu Cæli. Deus autem est primum movens respectu omnium motuum, & spiritualium, & corporalium... Unde, cum actus peccati sit quidam motus liberi arbitrii, necesse est dicere, quod actus peccati, in quantum est actus, sit a Deo. Sed tamen attendendum est, quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus: sed in unoquoque secundum proprium modum. Alio enim modo causatur a motu Cæli &c. Cum enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, consequitur actio perfecta secundùm intentionem primi moventis: sed, si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta, & tunc, quod est ibi actionis, reducitur ad primum movens, sicut in causam: quod autem est ibi de defectu, non reducitur in primum movens, sicut in causam, quia talis defectus consequitur in actione, ex hoc, quod agens deficit ab ordine primi moventis, ut dictum est. Sicut, quidquid est de motu in claudicatione, est ex virtute motiva animalis: sed quidquid est ibi de defectu, non est a virtute motiva, sed a tibia, secundùm quod deficit ab opportunitate mobilitatis a virtute motiva. Sic ergo dicendum, quod Deus sit primum principium motionis omnium: quædam sic moventur ab ipso, quod etiam ipsa se ipsa movent, sicut quæ habent liberum arbitrium: quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendum motionem, qua moventur a Deo, sequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam. Si autem deficiant a debito ordine, sequetur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id, quod est ibi de actione, reducetur in Deum, sicut in causam: quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate non habet Deum causam: sed solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quod actio peccati est a Deo, sed peccatum non est a Deo.* Cujus simile est, quod dicunt Zetetæ, actionis pravæ veritatem, seu esse exemptum esse in Deo; secus autem pravitatis ipsius. Veritate autem illa, sive esse exempto, tanquam forma extrinsecus afficiente

 rem

rem ajunt, ex æterno verum fuisse, extituram actionem illam, & talem, nempe rectam, esse posse, & debere: a qua *taleitate*, seu rectitudine cum deficiat in tempore actio illa, prava est, peccatum est. Eadem tibiæ similitudine id ipsum declarat Angelicus Doctor p.1. q.49. a.2. ad 2. Eandemque doctrinam non admodum dissimili specie, atque cultu passim apud ipsum invenies: præcipuè vero, ubi agit de voluntate Dei, de providentia, de prædestinatione &c. ex quibus locis nihil excribo, ne veritatis illius, quæ nunc potissimùm quærebatur, pervestigatio distineatur diutius, resque inventu difficilis, aliarum interjectu, abstrusior fiat.

45. Veritatem igitur ipsam, atque esse illud exemptum, quod habent in Centro liberæ omnes hominum, atque angelorum actiones, quæ rectæ, sibi congruens; quæ pravæ, sibi oppositum; ut est idem reapse non solùm scientia, sed etiam voluntas Dei; illarum quidem Sanctionem, harum verò Permissionem esse, dicebat Schola vetus Zetetica: nec hominum, & angelorum libertati quidquam inde timendum putabat. Rectè, secusne, meum non est judicare. Sic porro ajebat: Tametsi fuit in potestate, & arbitrio Dei, quid ex omni æternitate sanciret, aut permitteret; tametsi divinas has cùm Sanctiones, tum Permissiones æternas, & immobiles sua quamque actio definito & loco, & tempore certissimè consequitur; cum tamen & Sanctio sit ipsa veritas actionis rectæ per convenientiam; & Permissio sit ipsa veritas actionis pravæ per oppositionem, ut explicatum est paulo ante; resque omnis talis sit in se ipsa, qualis est in sua propria veritate; æquè est absurdum, eam sive hominis, sive angeli actionem necessariam fore in se ipsa, quæ est libera in veritate; ut est absurdum, eam liberam fore in se ipsa, quæ necessaria est in veritate. Age verò, quid interest inter veritatem actionis liberæ, & veritatem actionis necessariæ? Id ipsum, quod interest inter actiones ipsas liberam, & necesſariam. Veritas enim actionis liberæ secum affert esse verum, & exemptum istorum omnium: causæ scilicet undique completæ, atque aptæ, cui tamen etiam appositis iis omnibus, quæ ad agendum sunt necessaria; so-

lutum

lutum sit agere, & non agere: cumque ita parata sit, & instructa, solutumque ei sit agere, & non agere; suapte sponte, atque nutu malit agere, quàm non agere. E contrario veritas actionis necessariæ secum affert esse exemptum tum ejus causæ, quæ, cum præsto illi sunt ea omnia, quæ ad agendum sunt necessaria, non possit non agere; tum ejus effectùs, qui ab hac causa ita existat; non ejus scilicet electione, & arbitrio, sed necessitate, & natura. Video equidem, quid hìc objici possit: nullam fore hìc apud nos causam verè liberam, quæ quod agat, ejus electio sit, & arbitrium, non necessitas, & natura. Cum enim duorum illorum veluti statuum, quos Investigatores ponunt, ea sit habitudo, ut secundus sit planè suspensus ex primo, umbra scilicet ex veritate; non erit in potestate hominis, aut angeli, quid agant in statu adumbrationis, nisi sit in eorum pariter potestate, quænam ipsorum actiones sint in statu veritatis. Hoc autem videtur in eorum potestate non esse, cum veritas, atque esse exemptum illarum actionum, quæ ab ipsis eduntur, Zetetarum sententiâ, sit planè liberum Deo, in Deique positum electione, & arbitrio. Immo verò è Schola sum Societatis, & ad conciliandam cum Dei prædestinatione, præscientia, gratia, angelorum, atque hominum libertatem, etsi alii aliud probabiliter, laudabiliterque defendant; nihil tamen adhuc aptius inveni, quàm quod edoctus ab ipsa sum. Quod profectò est ejusmodi, ut, cum, duobus veluti scopulis, obsita sit ea pars Theologici cursus, hinc quidem Hæresi Calvinistarum, & Jansenistarum; illinc autem Hæresi Pelagianorum, ac Semipelagianorum; a Societatis doctrina quantum discederem; tantum quoque offendere, & quodammodo allidi in alterutro mihi viderer. Unà igitur cum Societatis Theologis, Ebræis Investigatoribus firmissimum illud oppono Scholæ nostræ axioma: Quidquid connexum est cum hominis, & angeli actione, iisdemque inevitabile est, eorum libertatem evertit: esto autem, Zetetis detur, id ipsum quod est in statu veritatis, esse in statu umbræ, nec ipsum Esse, sed status quodammodo distingui, ut est Catholicè expositum p. 1. num. 1.
 & 22.

& 22. certè, quod actio hominis, aut angeli futura, ut futura ab omni æternitate fuerit in statu veritatis, cum eo nectitur, quòd sit etiam rato & loco, & tempore in statu adumbrationis: & quòd in statu veritatis eo pacto fuerit, homini ipsi, & angelo est inevitabile: siquidem, ut supra positum est, fuit in potestate, & arbitrio Dei, quas apud semetipsum, ante omne tempus, rerum veritates exemptas haberet. Hic Schola Zetetica, si pro se loqui possit, exemplum fortasse illud instauret, quo paulo ante pro ipsa pugnatum est: mundum universum nobis proponat, vel unum aliquem hominem, & quidquid ab ipso seu necessariò, seu liberè existit, positum simul in duplici loco, ad Boream, & ad Austrum: atque ita tandem respondeat: Utique non erit in potestate, atque electione hominis hujus, quid agat in loco Australi, nisi sit itidem in ejus potestate, atque electione, quid agat in Boreali: verum, quid agat in loco Boreali, in ejus potestate, atque electione est oppidò: siquidem necessitas illa, qua premitur, non ipsam actionem, sed locum dumtaxat afficit: solutumque ei est, quid agat: licèt definitum, & constitutum sit, decreto Dei, ubi agat: duplex videlicet ille locus, Borealis, & Australis. Ad eandem imaginem: non erit utique in hominis, & angeli arbitrio, quid agant in statu adumbrationis, nisi sit pariter in eorum arbitrio, quid agant in statu veritatis, hoc est, quæ veritas exempta ipsorum actionibus in Centro respondeat. Id verò est oppidò in eorum arbitrio, quoniam hæc etiam necessitas non rem, aut ens ipsum, sed quasi statum dumtaxat afficit: cumque in eorum voluntate sit penitus, quid agant: ex ipsa tamen horum statuum natura fixum est, ut, quod agunt, sit utrobique, in veritate scilicet, & in umbra. At enim, ut supra diximus, Deo est planè liberum, quid sit in statu veritatis, Deique ipsius electio est, & arbitrium: quòd, si Deo id est planè liberum, in ejusque positnm electione, & arbitrio; homini, & angelo evitabile non est? Enimvero eo prorsus modo, quo homini manenti in loco boreali est planè liberum quid ibi agat, in ejusque positum electione, & arbitrio: nec continuò tamen, si hoc est, id est ipsi prorsus inevitabile manen-

nenti in loco auſtrali. Nempe eſt idem homo, qui manet in loco boreali, quique in loco auſtrali, eademque utrobique ejus hominis actio? Idem quoque homo eſt, qui eſt in statu veritatis, hoc eſt in ſcientia, & voluntate Dei; quique eſt in ſtatu adumbrationis, hoc eſt, in ſeipſo: & illa actio, quæ ab eo liberè exiſtit, eadem eſt in ſcientia, ac voluntate Dei; atque in ſe ipſa. Quid igitur, in Deone eſt verus ille homo? vera hominis illius facultas? vera ejus facultatis exercitatio? haud quaquam ſanè: ſed, cum Scientia Dei, ſit ipſa veritas rerum exempta; & exemptum ipſum eſſe rerum ſit Dei Voluntas; eſt in Deo eſſe, & veritas, quæ iis omnibus modò numeratis reſpondeat: quod eſſe, & veritas, cum ſit idem, eſſe, & veritas rerum omnium, hoc eſt, omnia extra omnia; ſeu totum exemptum a toto, quod eſt ipſemet Deus, nam Deus id, quod habet, illud eſt; ea de cauſa dictum eſt ſupra, Deo liberum fuiſſe, quam in ſe ipſo, ante omne tempus noſtrarum actionum veritatem, atque eſſe exemptum haberet: atque interrogantibus p.2. n.43. cui nam liberum eſt illud eſſe, ſeu illa ratio entis, quæ eadem & in Deo eſt, ſed tanquam in ſtatu veritatis; & in humanis ipſis actionibus, ſed tanquam ſtatu adumbrationis; hominine, an Deo; reſponſum eſt, id eſſe utrique liberum: ſed Deo liberum in ſtatu veritatis, ſecundùm quem ſtatum eſt, & dicitur electio, ſeu decretum Dei; homini autem liberum eſſe in ſtatu adumbrationis, ſecundùm quem ſtatum eſt, & dicitur electio, ſeu aſſenſio hominis. Ita ſcilicet, ut electio, ſeu decretum Dei, ſit electio, ſive aſſenſio hominis in ſtatu lucis: contra verò electio, ſeu aſſenſio hominis, ſit electio, & decretum Dei in ſtatu umbræ. Hæc autem mirantibus illud ſæpe iteravimus: Hæc eſt Veritatis loco, ac tempori exemptæ, ac per ſe ſubſiſtentis natura: quæ, cum ſit eſſe verum, & quidquid habet, illud ſit; ſicuti quæ intelligit, ſe ipſa intelligit; ita quæ vult, ſe ipſa vult: quare, ut veritate rei rem ipſam intelligit; ita veritate rei rem ipſam vult: intelligit igitur, & vult actionem, voluntatemque liberam hominis, & angeli, veritate ipſa actionis, voluntatiſque liberæ hominis, & angeli: quæ veritas, cum ſit quædam veluti forma, ut oſtenſum

ſum eſt p.2. n.33., qua res primariò veræ dicuntur; idem eſt, Deum intelligere, ac velle actionem,voluntatemque liberam hominis,aut angeli;ac eam verè eſſe liberam: idem eſt,Deum intelligere, ac velle, eos aliquid ſuapte ſponte, atque nutu eligere: ac eos verè ſponte ſua, & ſuapte nutu illud eligere: denique, quodcunque dicas, ſi addas, Deum id intelligere,ac velle; addis id eſſe verum, quod dicis, ſuoque & loco, & tempore extiturum. Hactenus Schola Zetetica. Quòd ſi non acquieſcis, ſed aliud quidpiam, ingeris paulo magis ſubtile, & acutum, ut promptum eſt vel mediocri cuilibet Societ.Theologo;ea iis omnibus ſuum illud opponet:Hæc eſt Veritatis ipſius natura: ita intelligit Veritas, ſe ipſa intelligit: ita vult Veritas, ſe ipſa vult: quòd ſi ſeipſa vult,& intelligit; ejus voluntate, & intelligentia futurum eſt, ac verè eo modo futurum, quo eſt futurum, ſcilicet vel neceſſariò, vel liberè. Hæc illa: quæ non equidem ſpero omni ex parte probatum iri Sapientibus:cum & mihi diſpliceant,qui illa reperi. At quid attinuit iſthæc improbo plurium menſium labore, & ſtudio ex iis latebris,in quibus tot ſecula delituerant, in hanc lucem efferre, & partim quidem diſperſa colligere,partim manca ſupplere, ſi diſplicent? Quia, etſi plura peccent, ejuſmodi tamen eſſe video; quæ,ſi in alicujus manus pervenerint, cui plus otii ſit, & ingenii ad hæc pertractanda; ut facile eſt inventis addere; ex iis aliquid tandem conficiat, quod Catholicas Scholas inter ſe diſſidentes conciliet, ac novas hæreſes,quæ diſcordiis noſtris aluntur, ſeque in dies inſolentiùs efferunt, penitus obterat.

46. Promenda nunc eſſent ex iiſdem Zeteticis theſauris alia complura, quæ ad Deum pertinent, ut Unus eſt, idemque Intelligens, ac Volens: atque ea præcipuè, quæ aliquid opis afferrent ad eam controverſiam enodandam, quam de Actibus Contingentibus, quos vocant, ac liberis Dei, inſtituère jamdudum Scholaſtici: qui quidem in varias diſtracti ſententias, ſe tamen propemodum obrui, ac vinci reſpondendi difficultate fatentur omnes. Cum enim voluntas illa, qua Deus ab omni æternitate facturum ſe in tempore aliquid decrevit; ac ſcientia, qua illud fore præſcivit; ſint re ipſamet Dei